20

EPISTOLA

RESPONSORIA

R. P. ISAACI DE BRUYN

SOCIETATIS JESU

AD EXIMIUM DOMINUM

MARTINUM DE SUUAEN

S. Th. Doctorem Lovanienſem &c.

CAPUT PRIMUM.

Expenditur Exordium Eximii, & injuſtis ejus querimoniis ſatisfit.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

§. I.

Retunditur injuſta Eximii Querimonia.

ACcepi Epiſtolam Tuam, Vir Eximie: animo illam pacato percurri, & quamquam nonnunquam in me, meoſque Socios eſſes iniquior, non fui tamen commotus. Unum dolebam, tantum tibi laboris ſumptum eſſe fruſtrà. Epiſtola nihil habebat epiſtolare, ſed apparebat potius veluti delineatio quædam rudis, prolixioris Apologiæ. Habe igitur ad ſcriptum tuum non breve, reſponſum paulò prolixius, ut queri deinde non poſſis ex argumentis tuis aliquid à me diſſimulatum eſſe. Reſponſiunculam hanc luci non ita pridem debitam vulgare diſtuli adhuc, quod morbo te non levi correptum intelligerem, ne ægro, quod aiunt, leoni viderer velle inſultare, teque illo tempore ſcripto gravarem, quo ſuam menti corpus ſerenitatem invidet, nec rationum

pondus examine juſto librari patitur. Nunc, ubi tibi redditam ſanitatem intelligo, ſpero rationes meas altius animum tuum ſubituras, atque hunc non minimum futurum moræ meæ fructum.

Ceſſantibus aliis tibi ipſi applaudis, dum tuam adverſus me Epiſtolam ſic ordiris: *Benedictus Deus, quo adjuvante tam orthodoxè, dilucidèque ſententiam meam de Gratia & libero arbitrio publicis in ſcriptis exponere mihi licuit, ut ea à Primariis tum Cleri, tum Religioſorum Ordinum Viris ſive in, ſive extra hanc Academiam tamquam genuina S. S. Auguſtini & Thomæ doctrina commendari, à nemine hactenus gratia per ſe efficacis defenſore vel leviter impugnari, denique & à R. V. non niſi hoc ſolo Titulo arredi meruerit, quod exiſtimes, alia me interius ſentire, quam publicis in ſcriptis coram Orbe univerſo profeſſus ſum.* Hunc præcocem Triumphum lamentabilibus næniis mox ipſe contaminas ac ſuſpectum reddis ita proſequens: *Placuit nihilominus tibi, R. P. tum in nuperis tuis Theſibus, tum in earumdem publica defenſione, me quidem ut hæreticum per te, vel per diſcipulum tuum proclamare, & hanc orthodoxam doctrinam meam de hæreſi ſuſpectam reddere.*

Egone ſim præceps adeò, ut aut hæreticum te proclamem, aut proclamari ſinam, aut adeò præceps ſit è meis quiſquam? Idque non in Diſputationibus tantum, in quibus nonnunquam fervor linguam præcipitat, ſed in ipſis Theſibus, quæ ſolent animo pacatiore concipi? Ubi quæſo, quâ paginâ, quotâ Theſi id à me peccatum eſt? Cur non deſignaſti locum aliquem ex quo ſimilis calumnia poſſit exſculpi? Satis tibi fuit Theſes ipſas nominare, ſed ſi verè reperiſſes aliquid, avidiſſimè credo deſcripſiſſes, tu, qui nihil ambis magis, quam ejuſmodi laciniis ſcripta tua ampliare, & cantilenis iiſdem ſemper recantatis reddere æſtimabilia. Hanc igitur Querimoniæ tuæ partem primam pro nihilo habeo.

Nunc ad alteram: *Adſunt mihi*, inquis, *inſtrumenta fide digniſſima, quibus evincam, iniquiſſimam hanc calumniam mihi in Diſputatione tua nupera impactam fuiſſe.* Quæ illa? teſtes credo, quibus ante hac luſus ſæpius, Eruditis Lectoribus ludibrium debuiſti. *Qui cito credit*, Exim: Martine, *levis eſt corde*, ſolent non rarò diſcipuli, quales, ut reor ſunt tui teſtes, per ejuſmodi frivolas delationes Magiſtrorum ſuorum gratiam aucupari. Quidquid in Diſputatione dictum eſt, id ipſe tibi quam potero breviſſimè, & ſinceriſſimè exponam. Quidam è diſputatoribus cauſam tuam & SUPPLICANTIUM agens contendebat non aliud uſitatum fuiſſe unquam in Eccleſia, quam, ut etiam à ſuſpectæ fidei hominibus exigeretur Profeſſio, non qua Autorem aliquem, aut

alicujus Libri ſenſum, ſed quâ hæreſim proſcriptam damnarent. Inter cætera allatum eſt exemplum Theodoreti, de quo (ut notabat defendens) quamdiu tergiverſabatur abſolutè anathema dicere Neſtorio, proclamabant Chalcedonenſis Synodi Patres: *Theodoretus Hæreticus eſt: Hæreticum foras mitte.* Atque ita Argumento finis impoſitus eſt. Hic ſummam habes totius rei actæ; unde Teſtes illos tuos non alio pacto liberare poſſum crimine teſtimonii falſi, niſi Te ſibi repræſentaverint ut Theodoretum alterum in Chalcedonenſi Synodo reum actum, adeo ut quod referebatur proclamatum fuiſſe à Patribus adverſus Theodoretum, adverſus Te à nobis proclamatum eſſe judicaverint. Occaſionem huic errori dederit, quod in eadem cum Theodoreto cauſa verſari videri poſſis. Clamabat & proteſtabatur Theodoretus coram ſynodo, uti ejus acta referunt: *Ego per Dei gratiam ab Orthodoxis ſum nutritus, & Orthodoxè docui .... & non ſolum Neſtorium & Eutychen, ſed & omnem hominem, qui rectè non ſapit, averſor ..... omnem Hæreticum anathematizo, Neſtorium & Eutychen & omnem hominem dicentem, vel opinantem duos filios, anathematizo.* Similia ex Te, ſi tamen uſque eo proſilire te paſſus eſt amor Janſenii, audiverant forte illi tui: *Ab Orthodoxis, Laus Deo, educatus ſum:* CHRISTIANUS *nomen meum*, CATHOLICUS *cognomen: Orthodoxè ſemper docui: damno omnem ſenſum ab Eccleſia in quinque famoſis Propoſitionibus damnatum: omnem hominem, qui non rectè ſapit, averſor, ipſum etiam Ianſenium, ſi is erravit.* Hæc omnia à Theodoreto tam ſpecioſè proclamata, non potuerunt illum hæreſios ſuſpicione eximere *Epiſcopi clamaverunt, ille Hæreticus eſt: iſte Neſtorianus eſt. Hæreticum foras mitte:* donec diſertis tandem verbis, citra exceptionem omnem apertè diceret *Anathema Neſtorio* illa Te inter & Theodoretum in quæſtione prorſus eâdem ſimilitudo fecerit, ut de Te dictum finxerint quod erat de Theodoreto narratum. Hoc quippe unum diſcriminis intercedit, quod Tu necdum ut Theodoretus in ſynodo œcumenica ſpectabilis adactus ſis communibus Epiſcoporum vocibus anathema dicere Janſenio: quod ſi tum detrectares, ut detrectaſti hactenus, quid auditurus eſſes, potes ex Theodoreti exemplo diſcere. Hæc ad injuſtam illam tuam querimoniam retundendam dicta ſunto.

§. II.

Exponuntur rationes ob quas Eximius de Hæreſi Janſeniana ſuſpectus videatur.

NUllus inficior, quædam in meis Theſibus congeſta eſſe, quæ fidem & Doctrinam tuam, Vir Eximie, jure merito, Orthodoxis omnibus ſuſpectam faciant: ſed hæc à me non tam quæſita ſunt, quam à Teipſo obtruſa: dum poſtquam primus, nec à me unquam vel verbo laceſſitus, per tuas Antitheſes ad certamen provocaſſes, ea deinde ad defenſionem tuam attuliſti, quæ fidem tuam non tam purgarent, quam magis magiſque inficerent, relictis ubique non obſcuris pertinaciæ cujuſdam veſtigiis, quâ Janſenii doctrinam ejurare Religioni quodammodo ducis.

I. Namque in proponenda tua doctrina phraſibus illis uteris ac loquendi modis, quales paſſim occurrunt in Janſenio, quod cum tibi à me objectum eſtet, *quam vana* exclamas Epiſtolæ tuæ *§.7. Diverticula! ſane quos habeat* (Janſenius) *loquendi modos, parum, vel nihil mea intereſt: dummodo &c.* Intereſſe deberet plurimum Exim. Magiſter: nam ut ſcitè Hieronymus, cum hæreticis ne verbum quidem oportet habere commune, in ea præſertim materia, in qua tam evidens eſt ob circumſtantia undique præcipitia, errandi diſcrimen, viaſque tam lubricas, in quibus tot præſtantia ingenia, feſellit veſtigium.

II. Poſteaquam hâc ratione in apertam erroris ſuſpicionem temerè te conjeciſſes, velut ad ſacram anchoram, aut ultimam naufragantium tabulam, trito jam à ſuſpectis hominibus tramite, ad quinque articulos confugiſti, à Janſenianæ factionis primipilis, in ſupremis rerum anguſtiis, in Gallia olim ex Arnaldi genio adornatos, dubio ſub phraſibus Thomiſticis habitu, ſub quibus Janſenianum virus occultè deliteſceret, ut à me in Theſibus Anni 1689. & deinde ab aliis operoſius demonſtratum eſt, ad quæ, ut tua phraſi utar, piſce mutior hæſiſti hactenus.

III. Iiſdem prorſus principiis niteris, quibus nituntur Calvinus & Janſenius, totumque ſuum ſuperſtruxerunt de gratia Syſtema, quæq; cum Syſtemate Thomiſtico è diametro pugnant, ut manifeſtum feci Theſibus Anni 1688.

IV. Dum Thomiſta videri ſtudes, non apicularum ſed aranearum mo-

morem imitaris, & ut ſcribebam nuper, ex lectiſſimis Thomiſtarum ſcriptis, modos loquendi ſtudioſè ſeligis eru los maximè, quíque ad Ianſenii ſenſum videantur adludere, non ſecus ac ſi ex hortis omnium nobiliſſimorum florum copiâ refertis, ſolos eligeres graveolentes.

V. Non ſine ſingulari præconio atque aggeſtis laudibus commendas doctrinam D. De Laleu & D. Rivette, tam apertè Ianſenio conſentientium, ut è decem Doctoribus Pariſienſibus, qui Theologiam in Sorbona publicè prælegunt, quorum judicio ſcripta eorum fuerant ſubjecta, repertus ſit nullus, qui non judicaverit eandem in iis contineri doctrinam, quæ in Ianſenio condemnata eſt.

VI. Preſſus definitione Concilii Tridentini adverſus Calvinum promulgatâ, non vereris aſſeverare, Calviniſtas præcipuos hujus temporis in materia de libertate & gratia, eadem ſentire & loqui, quæ Catholici loquuntur & ſentiunt. Qui tamen ipſi cum ſua Dordracena Synodo profitentur apertè, ſe ne ad latum unguem à Calvini veſtigiis deflectere, & bellum gerere cum Tridentinis Patribus irreconciliabile, ut ſæpius tibi à me objectum eſt, ſed ſemper ſine reſponſo ſum dimiſſus, adeò ut idipſum ſilentio tuo ſatis agnoſcas. Certè ſimilis cum Eccleſiæ hoſtibus colluſio malè cadit in Doctorem Catholicum.

VII. In quadam charta volatica contra me edita, ſocium tibi adjungis Petrum Iurium, quo neminem habent Calviniſtæ hodie plurium palmarum, ut ipſi arbitrantur, & cui magis ſuam cauſam credant. Hunc de debilibus gratiæ motibus à te, & à Ianſenio adſtructis, quoſque Calviniſta nullus excluſerit non nulla argutantem ideo in Theatrum veluti Doctorem Catholicum hac in parte introducis: hunc inquam Iurium, qui verè de veſtra ad ſe & ad ſuos acceſſione gloriatur, & intrepidè coram Orbe toto inficiatur, ſuos in hoc puncto à Calvini placitis deſciviſſe. Hunc Iurium qui vos non injuriâ de mendacio coarguit, quo falsò gloriamini, cum vos ad Calvini caſtra acceſſeritis, Calviniſtas acceſſiſſe ad vos.

VIII. Dictis hiſce & factis contractam nominis maculam, & altè impreſſam quorumdam animis ſiniſtram de te, tuaque doctrina ſuſpicionem, cum poſſes non magno negotio diluere, & domeſtica hujus rei in Academia Lovanienſi exempla non deeſſent, publicè agnoſcendo juſtè damnatam eſſe in ſenſu autoris Ianſenii doctrinam, renuis Janſenio nuntium remittere, & ullum tuam inter, & Janſenii doctrinam, diſcrimen oſtendere, quin vanam hic Religionem prætexis Majorum tuorum, quorum te major tenet, quam Romanæ Sedis aut Eccleſiæ reverentia:

verentia: verba tua proferam jam ſæpius objecta, ſed donec reſipiſcas, nunquam ſatis objicienda: nam ut meritò Proſper in Epiſtola ad Auguſtinum: *neceſſarium eſt etiam quæ ſcripta ſunt ſcribere, ne leve exiſtimetur, quod non frequenter arguitur.* Hæc inquam non erubeſcis ſcribere Theſium tuarum § 5. *Quis enim non videat periculum imminere non infundatum, ſi propoſitiones famoſas damnarem in ſenſu ab Autore intento, ne hinc inferat aliquando* aliquis, ME NON MEAM TANTUM, SED ETIAM MAIORUM MEORUM DOCTRINAM IMPRUDENTER DAMNASSE. Hanc tuam adeò claram profeſſionem, quâ intima animi tui ſenſa tam clarè prodideras, expertus invidiæ non ſatis ferendæ eſſe obnoxiam, neſcio quibus offuciis conatus es deinde obſcurare, & veluti linteo obducere: Periculum, ſcribis, veluti retractans & ingenuitatis tuæ pœnitens, inde imminere non infundatum, ne ex Adverſariis tuis nonnulli contendant, gratiam omnem de ſe infallibiliter efficacem, adeòque eam etiam, quam tu aſſeris, eandem eſſe, quæ in Tridentino & à Pontificibus R: R: per conſtitutiones contra Janſenium condemnata eſt. Contendunt id Adverſarii tui? Ita eſto contendant: an hoc ſatis eſt, quo te purges? Vel exiſtimas id eos contendere juſta de cauſa, ſolidè, & ex rei veritate, vel ex cauſa futili, vanè, & præter rei veritatem? Si primum, ut non obſcurè innuis (cur enim vereretis hic notam ſubire imprudentiæ, quaſi Janſenium ejurando, Majorum tuorum, & tuam doctrinam ejurares?) nunquam efficies Catholicè ſentire te, etiamſi millies proclames te eſſe Thomiſtam, & juratiſſimum Thomiſtam: ſemper enim reſtabit juſta & violenta ſuſpicio, ne id animo proclames Janſeniano, id eſt hæretico, quippe qui exiſtimes, inter Thomiſtarum ſententiam, & damnatam Janſenii doctrinam, eam eſſe cognationem aut identitatem, ut hæc falſa & meritò condemnata eſſe non poſſit, quin illa falſa pariter & condemnata ſit, & hâc unicâ gratiâ Thomiſtæ nomen adſciſcas, ut ſub famoſo illo clypeo deliteſcas, tantòque ſecurius, ac liberius Janſenizes: ſi alterum exiſtimes, & Fidei Catholicæ ſatis ſecurus ſis, ineptè, ne dicam ſtultè, vereris notam imprudentiæ, ſi Janſenium publicitus ejures, quo procul à te ablegato, ſine incommodo fidei tuæ rationem omnibus reddes, quam reddere ex Petri monito jubemur Chriſtiani omnes adeò luculentam, ut nulli non obtrectatori os obturetur. Certè ego tergiverſatus non ſum meam, & Societatis doctrinam à Semipelagianorum dogmatis ſecernere, dum tu Exim: Domine ſecutus Ianſenium non es veritus, gratiam à Molina Catholicè aſſertam confundere cum *gratia poſſibilitatis* ut Auguſtinus vocabat gratiam Pelagianorum.

Non

Non me ægrè habuit, quin lætandum potius cenſui, occaſionem per te mihi præberi, ſinceram fidem, & ſanam doctrinam meam, in majori luce omnium oculis exponendi. Unum dolui imperitis hominibus, & Academico vulgo ſic fucum fieri ab Eximio Viro, cujus dicta omnia ſolent diſcipuli venerari, ut Apollinis oracula: Quin meo provocatus exemplo, condemnato Ianſenii errore diſcrimen juſtum inter tuam & proſcriptam illius doctrinam niteris exhibere? Sed *quis non videat periculum imminere* NON INFUNDATUM *ſi propoſitiones famoſas damnares in ſenſu ab Autore intento ne hinc inferat* unusquiſque, *te* TUAM *& Majorum tuorum doctrinam* IMPRUDENTER *damnaſſe.*

IX. Poſt hæc omnia plaudis tibi & animo geſtis quod honorifica quædam obtinueris teſtimonia partim à Domeſticis, qui in eodem tecum luto hæſitant, partim à Dominicanis procul à Belgio ſemotis, & fraudum Janſenianarum ignaris, ſoloque deluſis phraſium ſuarum cortice. Verum quid te juvant teſtimonia iſta omnia, ſi animo Ianſenianum virus foveas? Certe longè plures habuit Ianſenius & majoris notæ quam Tu, Doctrinæ ſuæ, & voluminis approbatores Pelagium ſynodus Dioſpolitana abſolvit, non ſine aliqua doctrinæ ejus & perſonæ commendatione: at decepta erat ambiguis ejus verbis, & in ſpeciem Catholicis *miſerabilis* Synodus, ut eam Hieronymus vocat. Erga Celeſtium Zoſimus Pontifex ſummâ benignitate uſus eſt, eumque pro Catholico habuit, adeò ut accuſatores ejus Erotem & Lazarum, velut calumniatores perſtrinxerit: tantum potuit ſubdola vaferrimi illius hæretici profeſſio, verbis ad ſpeciem Catholicis involuta, quibus hæreticum celabat ſenſum. Ut te efferres Eximie Martine, ut Hymnum Ambroſii caneres, cum univerſo *Supplicantium* choro, ſi quæ te Synodus abſolviſſet, ſi Romanus aliquis Pontifex dimiſiſſet, ambiguitate ſermonis tui captus, ſi me accuſatorem tuum deſcriberet veluti calumniatorem, qui tantoperè exultas, tamque ineptè geſtis, ob hominum nonnullorum ſuffragia, quorum vel nulla, vel parva eſt ad fidem faciendum autoritas? Et tamen felix ille cauſæ tuæ ſucceſſus (ſi quæ poteſt eſſe in mala cauſa felicitas) ſecurum facere non poſſet, niſi (quod hactenus cum multorum ſcandalo detrectas facere) damnatos errores in ſenſu Ianſenii ejures, Ex his apparet, quam à te ultrò obtruſa ſint, quæ fidem & doctrinam tuam orthodoxis omnibus meritò ſuſpectam faciant, ut adeò mirum videri non debeat, quod quæ de Theodoreto tergiverſante fidei ſuæ planam rationem reddere, dicta à Patribus Chalcedonenſibus in diſputatione narrata fuerunt, diſcipuli tui minus ad perſonam, quæ referebatur, attenti, quam ad rem quam

in te apprimè cadere ſentiebant, tibi applicuerint, & à nobis applicata fuiſſe per errorem retulerint.

§. III.

Excutiuntur Reſponſa Eximii, quibus fidem ſuam purgare nititur, contra rationem unam ſibi objectam & oſtenditur quod damnatas V. Janſenii Propoſitiones non damnet juxta SS. Pontificum Conſtitutiones.

GEminas rationes exhibes Epiſtolæ tuæ §. 1. ob quas perſonam & doctrinam tuam de hæreſi ſuſpectam habeam, alteram, quam ſecundo loco refers *quod propoſitiones quinque ab Innocentio X. & Alexandro VII. damnatos, non damnes juxta Summorum Pontificum conſtitutiones.* Alteram *quod juxta me reverentiam non praſtes erga conſtitutiones Apoſtolicas, quam promittis.* Poſt quæ dicta, *atrox*, reclamas, *accuſatio!*

Si vel te judice Eximie Magiſter, atrox hæc accuſatio eſt, non poteſt non te judice atrox crimen eſſe, propoſitiones ab Innoc. X. & Alexandro VII. damnatas, non damnare juxta eorundem Pontificum conſtitutiones, & non præſtare reverentiam erga conſtitutiones Apoſtolicas, quam promittis, Examinemus an tam atrox crimen ea, qua debes ratione, diluas.

Primum, inquis, §. 4. conficio irrefragabiliter ſequenti ratiocinio: Quiſquis damnat quinque propoſitiones ab Innoc. X. & Alex. *VII.* damnatas, eodem planè modo, ac ſenſu, quo illos damnarunt Epiſcopi quatuor, tempore Clementis *IX.* damnat illas juxta SS. Pontificum conſtitutiones.

Atqui ego propoſitiones illas damno eodem modo ac ſenſu, quo illos damnarunt præfati Epiſcopi.

Ergo propoſitiones illas damno juxta SS. PP. conſtitutiones.

Majorem in qua tota vis argumenti ſita eſt, ſic ſtabilis *quia nunquam teſtatus fuiſſet Clemens IX. Epiſcopos illos praſtitiſſe ſibi* VERAM *ac* TOTALEM *obedientiam, ſi non damnaßent propoſitiones illas juxta Summorum Pontificum conſtitutiones.*

Antequam ratiocinium hoc tuum, quod jactas eſſe irrefragabile, deſtruam, oppono argumentum æquè breve & ſolidum magis atque convincens, de quo ſententiam æquis Lectoribus permitto, Quiſ-

Quiſquis non damnat quinque propoſitiones ab *Innoc.* X.& Alex. *VII.* damnatas eodem planè modo ac ſenſu, quo illas damnarunt Romani illi Pontifices, non damnat illas juxtà Summorum Pontificum conſtitutiones. Atqui quiſquis non damnat eas in ſenſu Autoris, ſive in eo ſenſu, quo extant in Libro cui titulus *Auguſtinus Cornelii Ianſenii* non damnat eas eodem plane modo ac ſenſu, quo illas damnarunt Romani illi Pontifices: Ergo quiſquis non damnat eas in ſenſu Autoris, ſive eo ſenſu, quoextant in libro cui titulus *Auguſtinus cornelii Ianſenii*, non damnat eas juxtà Summorum Pontificum Conſtitutiones.

Major mea non poteſt non ab ipſo Eximio mihi dari, eſtque ipsâ meridianâ luce clarior, quia modus ac ſenſus, quo damnant in ſuis Conſtitutionibus Propoſitiones, ab ipſis Conſti tutionibus non diſtinguitur; ſive non eſt quidquam aliud, quam ipſæ Conſtitutiones. Tota igitur difficultas hæret in minore, quam tamen evidenter evincunt Conſtitutionum verba. Non memoro Bullam Urbanii *VIII.* quæ incipit, *In Eminenti*, quâ Librum Ianſenii proſcribit, & hujus ſuæ proſcriptionis hanc rationem adjungit; *cum ex diligenti & matura Libri, cui titulus Auguſtinus, lectione poſtmodum compertum fuerit, in eodem libro, multas ex Propoſitionibus à Prædeceſſoribus noſtris olim, ut præfertur, damnatis, contineri, & magno cum Catholicorum ſcandalo, & autoritatis dictæ Sedis contemptu, contra præfatas damnationes & prohibitiones defendi; nos huic malo in ſcandalum totius Reipublicæ Chriſtianæ & fidei Catholicæ perniciem vertenti, opportunum remedium adhibere volentes &c.* Conſtat ergo ex hac Bulla Orthodoxis omnibus, qui Romanorum Pontificum ſententiis ac decretis deferunt, doctrinam contentam libro Ianſenii, pro qua cenſuræ eximenda, tanto tempore ſudatum eſt.& tot turbæ ac tempeſtates excitatæ, ſcandaloſam eſſe, & ab Urbani VIII. Prædeceſſoribus Pio V. & Greg. XIII. fuiſſe damnatam, idque in ſenſu autoris, ſive eo ſenſu, quo in libro Janſenii traditur, quia in alio accepta ſenſu, doctrina Janſenii non eſt. Hæc ſola Bulla, quamvis deeſſent cæteræ, à quovis obediente Eccleſiæ filio poſtulat ejurationem libri Ianſeniani in materia damnata: verum ad Conſtitutiones propero Ianſeniſtis magis fatales, Innocentii X. videlicet, & Alex: VII. de quibus nunc potiſſimum contentio eſt.

Innocentius X. Conſtitutione, quæ incipit *cum occaſione*, qua famoſas propoſitiones primum proſcripſit, declarat ſe id facere *occaſione impreſſionis libri. cui titulus Auguſtinus Cornelij Ianſenij Epiſcopi Iprenſis, cum inter alias ejus opiniones orta fuerit præſertim in Galliis contro-*

B troverſia

verſa ſuper quinque ex illis &c. In quibus nota *ejus* id eſt Cornelii Janſenii Iprenſis *opiniones*, adeoq; in Janſenii ſenſu quod Conſtitutionem ſuam finiens iteratò ſic confirmat: *Non intendentes tamen, per hanc declarationem & definitionem ſuper prædictis quinque propoſitionibus factam, approbare ullatenus alias opiniones quæ continentur in prædicto Libro Cornelii Ianſenii*, in quibus verbis rurſus obſerva *alias opiniones*. cenſuit igitur & manifeſtè edixit propoſitiones à ſe proſcriptas, propoſitiones eſſe Janſenii, ſeque illas in ejus ſenſu proſcribere, quemadmodum, ſe nolle edixit, per hoc alias illius autoris opiniones probare.

Idem Innocentius in Congregatione generali Sanctæ Romanæ & Univerſalis Inquiſitionis coram ſe habita alio decreto id ipſum diſertius expreſſit, quod tale habet exordium: *Sanctiſſimus D. N. Innocentius Papa X. poſt condemnatam ſuâ Conſtitutione editâ Pridie Kalen: Iunii Anni Incarnationis Dominicæ 1653 in quinque propoſitionibus Auguſtini Cornelij Ianſenij Epiſcopi Iprenſis doctrinam, ne occaſione doctrinæ prædictæ in mentes Chriſti fidelium aliquod dubium vel error irrepat, eumdem Auguſtinum Cornelii Ianſenii &c iterato prohibet & damnat &c* Ubi vides *in quinque Propoſitionibus doctrinam Cornelij Ianſenij* diſertiſſimè fuiſſe damnatam, & iterum iterumque damnari.

Alexander VII. in Bulla, quæ incipit *ad ſacram* Bullæ Innocentianæ fideliſſimum agens interpretem, ſupra dicta ſic confirmat & cavillationes omnes præcludit: *licet ea quæ Apoſtolicis Conſtitutionibus abundè fuerunt definita, novæ diſiſionis, ſive declarationis acceſſione nequaquam indigeant, quia tamen aliqui publicæ tranquillitatis perturbatores, illa in dubium revocare, vel ſubdolis interpretationibus labefactare non verentur, ne morbus iſte latius divagetur, promptum Apoſtolicæ autoritatis remedium cenſuimus non eſſe differendum &c. .... Cum autem, ſicut accepimus, nonnulli iniquitatis filii prædictas quinque Propoſitiones vel in libro prædicto ejuſdem Cornelij Ianſenij non reperiri, ſed fictè, & pro arbitrio compoſitas eſſe, vel non in ſenſu ab eodem intento damnatas fuiſſe aſſerere magno cum Chriſti fidelium ſcandalo non reformident, nos, qui omnia, quæ hac in re geſta ſunt, ſufficienter & attentè perſpeximus, utpote qui ejuſdem Innocentij Prædeceſſoris juſſu, dum adhuc in minoribus conſtituti Cardinalis munere fungeremur, omnibus illis congreſſibus interfuimus, in quibus Apoſtolicâ Autoritate eadem cauſa diſcuſſa eſt, eâ profectò diligentiâ, quâ major deſiderari non poſſet, quamcumq; dubitationem ſuper præmiſſis impoſterum auferre volentes, ut omnes Chriſti fideles in ejuſdem fidei unitate ſeſe contineant, ex debito noſtri Paſtoralis*

Officii

officii, ac matura deliberatione præinſertam Innocentij Prædeceſſoris noſtri Conſtitutionem, Declarationem, & Definitionem, harum ſerie confirmamus, approbamus & innovamus, & QUINQUE ILLAS PROPOSITIONES EX LIBRO PRÆMEMORATI CORNELII JANSENII EPISCOPI IPRENSIS, CUI TITULUS EST AUGUSTINUS, EXCERPTAS, AC IN SENSU AB EODEM CORNELIO JANSENIO INTENTO DAMNATAS FUISSE DEFINIMUS ET DECLARAMUS, ET UTI TALES, *inuſta ſcilicet eâdem ſingulis notâ, quæ in prædicta Declaratione & Definitione unicuique illarum ſigillatim inuritur,* ITERUM DAMNAMUS. Commentatore non indigent verba adeo clara ac luculenta: tanta tamen fuit, & etiamnum hodie eſt quorumdam hominum obſtinatio, ac partium ſtudium, ut hæc ipſa, neſcio quarum cavillationum nebulis obfuſcare conati ſint & conentur: quare & altera Conſtitutione opus fuit, præſcribente Formulam Clero Gallicano, quâ ſubſcribere debeat Conſtitutioni *Ad ſacram*, quæ velut lapis quidam lydius eſſet datus Eccleſiæ, ad exploranda ſuſpectorum hominum ingenia & ita ſonat: *Ego Conſtitutioni Apoſtolicæ Innocentii X. datæ die 31. Maii 1653. & Conſtitutioni Alexandri VIII. datæ 16. Octobris 1656. Summorum Pontificum me ſubjicio, & quinque Propoſitiones ex Cornelij Ianſenii Libro, cui nomen Auguſtinus* EXCERPTAS ET IN SENSU AB EODEM AUCTORE INTENTO, PROUT ILLAS PER DICTAS CONSTITUTIONES SEDES APOSTOLICA DAMNAVIT, *ſincero animo rejicio ac damno, & ita juro &c.*

Ex his ſequitur invictè, eum, qui non condemnat quinque Propoſitiones famoſas in ſenſu Ianſenii, non condemnare eaſdem propoſitiones ex mente Conſtitutionum Pontificiarum: ergo, ut aiebam teipſo judice, Vir Eximie, atrocis criminis reus eſt, quiſquis Janſenianas Propoſitiones IN SENSU JANSENII non condemnat: ergo te ipſo judice atrocis criminis reus tu ipſe es, quamdiu tergiverſaris & animum tuum non immutas.

Miſeret me tui Eximie Martine, loquor ex intimo animi ſenſu, miſeret me. Tu, qui parentibus natus es Catholicis, quorum majores, quique ipſi fortè in medio gentis pravæ pro Romano-catholica religione adverſa multa paſſi ſunt, qui Magiſtratibus & muniis in Republica gerendis, ſolius religionis amore renuntiarunt, certè renuntiare erant paratiſſimi, tu inquam, qui hujus amoris hæres potius eſſe debueras, quam fortunarum, tu, qui adeo piè, adeo Chriſtianè ab iis inſtitutus es, naufragii adeo præſentis periculo te diutius exponas, ne dicam jam nunc ſis naufragus? Neq; ad tabulam à me tibi amicè porrectam extendas manum? Non poſſum non ingeminare, miſeret me

 tui;

tui : utinam tantopere te ipſum miſereat, & infelicitatem iſtam tuam tempeſtivè intelligas, ac intelligens ſerio recipiſcas. Sane quidquid dixeris, quidquid obtenderis, quidquid tibi inſtitutores illi tui ſuggeſſerint, quorum conſiliis nimium cæcè hactenus paruiſti, illud diffiteri non potes, longè eſſe conſultius, longè tutius, & ab errandi diſcrimine remotius, *Romano Pontifici* (id eſt ut Florentini verbis tibi non ignotis utar) *Succeſſori B. Petri Principis Apoſtolorum, Chriſti Vicario, totiusque Eccleſiæ Capiti, cui ſemus in Beato Petro paſcendi, regendi, gubernandi univerſalem Eccleſiam à Domino noſtro IESV Chriſto plenam poteſtatem traditam eſſe*, illi inquam obtemperare & ejus ſtare judicio, ac definitivæ ſententiæ, quam *filios iniquitatis, publicæ pacis perturbatores* audire, quibus hactenus tantâ pertinaciâ auſcultas. Solebas hoc mihi monitum dare, & æqui, bonique conſului: tutius, tutius mi Pater ſectandum eſt, vaga probabilitas periculum omne non tollit. Hanc eandem cantilenam, quoties tuis occinuiſti diſcipulis *tutius tutius?* Hanc tuam ipſe regulam, in fidei, hoc eſt omnium graviſſimo negotio ſciens & volens negligis, & ita quidem, ut nec ulla probabilitatis umbra ſuperſit quæ te firmet, & à conſilio à me tibi dato jure avocet. Sed ne te unum fortè remoretur, quo minus veritati des manus,

Venio jam ad ratiocinium tuum illud *irrefragabile*, ut jactas; propoſitionem illius ſive majorem : *Quisquis damnat quinque propoſitiones ab Innocentio X. & Alex: VII. damnatas eodem plane modo ac ſenſu quo illas damnarunt Epiſcopi IV. tempore Clementis IX* (qui recuſarunt eas damnare in ſenſu à Ianſenio intento) *damnat illas juxta ſummorum Pontificum Conſtitutiones*, hanc inquam, majorem aio eſſe falſiſſimam cujus falſitas ex jam dictis facile cuivis etiam obſtinato apparet.

Sed inquis: *major argumenti patet, quia numquam teſtatus fuiſſet Clemens IX. Epiſcopos illos præſtitiſſe ſibi* VERAM ET TOTALEM *obedientiam, ſi non damnarent propoſitiones illas iuxta ſummorum Pontificum conſtitutiones.*

Reſpondeo aut aliam præſtitiſſe Epiſcopos illos obedientiam, aliterque propoſitiones damnatas ejuraſſe, quam referat Eximius, aut nunquam illorum obedientiam probaſſe Clementem.

At quod probaverit Clemens, inquies, conſtat ex Pontificio reſcripto. Non repugno. At, quod non aliam præſtiterint obedientiam, quam, quæ refertur ab Eximio ex Pontificio reſcripto, non patet, imo patet contrarium. Diſertè quippe teſtatur Clemens ſe abire nolle, à Prædeceſſorum ſuorum Innocentii X. & Alex. VII. Decretis ac ſtatutis :

tutis : abiviſſet autem quam longiſſimè , ut nullus non admiſerit , ſi obedientiam adeò mutilam , adeò à Prædeceſſorum voluntate alienam, habuiſſet pro perfecta atque integra. Si tibi fides eſt , noluerunt unquam agnoſcere quatuor illi Epiſcopi Janſenii doctrinam , in quinque propoſitionibus eſſe jure proſcriptam : *Dogmatibus fidem , facto reverentiam promiſerunt* : cujus promiſſionis ſenſus alius non eſt quam is: Profitemur propoſitiones illas quinque ſenſum aliquem complecti hæreticum , eumque ejuramus , quod autem dicitur , propoſitiones illas in Janſenii Libro contineri , & in illius ſenſu damnari , eatenus præſtamus Conſtitutioni reverentiam, quæ tota in eo poſita eſt, quod eam ut falſam nunquam ſimus oppugnaturi,ſic tamen,ut liberum ſemper nobis eſſe velimus , de Janſenii doctrina ſentire , quod volumus. Damnavit Innocentius X. *inter alias ejus* (Janſenii) *opiniones , quinq; propoſitiones ſibi oblatas,* & poſteaquam *pro rei gravitate* (verba Pontificis ſunt) *coram S. R. E. Cardinalibus ad id ſpecialiter ſæpius congregatis, & à pluribus in ſacra Theologia magiſtris, eaſdem quinque propoſitiones* feciſſet *ſingillatim diligenter examinari, ſollicitè imploratâ ſancti Spiritus aſſiſtentia , divino Numine favente* declaravit & definivit, illas eſſe *temerarias falſas ,impias , blaſphemas ,anathemate damnatas ,& hæreticas,*mandans *omnibus Chriſti fidelibus ſub cenſuris,& pœnis contra hæreticos in jure expreſſis,ne de dictis propoſitionibus ſentire aliter præſumant, quam in hac præſenti ſua Declaratione & definitione continetur* , idem Innocentius *poſt damnatam* ut loquitur *ſua conſtitutione in quinq; propoſitionibus Auguſtini Cornelij Ianſenij Epiſcopi Iprenſis,doctrinam,ne occaſione doctrinæ prædictæ in mente Chriſti fidelium aliquis error irrepat, eundem Auguſtinum Cornelij Ianſenij iterato prohibet & damnat.* Urgentius adhuc premens Alexander VII. *Publicæ tranquillitatis perturbatores , & iniquitatis filios* appellat qui *prædictas quinque propoſitiones vel in Libro ejuſdem Cornelii Ianſenii non reperiri , vel non in ſenſu ab eodem intento damnatas fuiſſe aſſerere non reformidant* , & eaſdem *quinque propoſitiones ex Libro præmemorati Cornelij Ianſenij excerptas , ac in ſenſu ab eodem Cornelio Ianſenio damnatas fuiſſe* definit & declarat , & ut hæreticas &c. iterum damnat, mandans *omnibus Chriſti fidelibus, ne prædictam doctrinam teneant ſub pœnis & cenſuris contra hæreticos in jure expreſſis ipſo facto abſque alia declaratione incurrendis,* præcipimus inſuper *omnibus Primatibus, Archi- Epiſcopis, Epiſcopis &c. Vt hanc ſuam declarationem & definitionem ab omnibus obſervari faciant , ac inobedientes & rebelles prædictis pœnis , aliiſq; juris & facti remediis, invocato etiam ſi opus fuerit brachii ſæcularis auxilio , omnino coërceant.* Ad hæc

præ-

præſcribit formulam Clero Gallicano qua prædictis Conſtitutionibus ſummorum Pontificum ſinguli ſe ſubjiciant, *& quinque propoſitiones in Cornelij Janſenij Libro, cui nomen Auguſtinus, excerptas, & in ſenſu ab eodem auctore intento ſincero animo rejiciant ac damnent*, & ſe ita facere jurent. Interim laudati ab Eximio noſtro Epiſcopi IV. hanc quidem Conſtitutionibus tam ſolennibus & toties repetitis reverentiam promittunt, ut altum ſileant, an propoſitiones illæ in Janſenio contineantur, & an recte damnatæ ſint nec ne, ſic tamen ut nec virtutis amore, nec metu pœnarum abdicare a ſe velint libertatem, ſentiendi de illis quod velint, quo pertinaci ſilentio in illis circumſtantiis altius quam ulla voce clamant ſe nolle Janſenii ſenſum à Pontificibus damnatum reiicere, ſed eum mordicus ſuſtinere velle, tonet & fulminet Roma, quantum velit, & hos Epiſcopos, eo modo palam agentes, non modo toleraverit Clemens, ſed ut plenè & perfectè obedientes Filios etiam commendaverit? ita exiſtimabit, quisquis fidem adjecerit aſſerenti Eximio. Agamus ſincerè; fingamus tantiſper nihil reſpondiſſe Clementem, exiſtimaſne tu ipſe, Eximie Domine, ſimili ſilentio ſatisfactum eſſe Bullæ Innocentianæ & Alexandrinæ? exiſtimaſne nihil aliud utrumque illum Pontificem noluiſſe? Si ſincerè eloqui vis, quod cenſes, nunquam id dices, neque Pontificum iſtorum verba interpretationem ſimilem patiuntur, quam ſi vel obſcurè paterentur, non prætermitteres eam adferre, dum ſolo Epiſcoporum illorum exemplo, & Clementis Reſponſo pertinacem tuam inobedientiam erga Romanorum Pontificum Conſtitutiones, niteris excuſare: Putabisne igitur Clementem minus aſſecutum eſſe Prædeceſſorum ſuorum mentem, quam quivis ſanæ mentis Theologus eam aſſequatur. Damnant Innocentius & Alexander propoſitiones V. ut hæreticas, neque alium in iis ſenſum damnant, quam Janſenii, ut pleniſſimè declarant: & Clemens exiſtimaverit eorum conſtitutionibus plenè ſatisfactum eſſe, ſi quis ſenſum, qualemcumque ſibi imaginari libuerit hæreticum damnaverit, ſic ut liberum ſibi relinquat, & abſolutè velit de Janſenio ſentire quod lubet, modo verbis non dicat Pontifices illos in definiendo erraſſe, quod tamen ſe in animo ſentire, illo ſilentio palam ſatis manifeſtat? Et hanc qualem qualem obedientiam, adeò præpoſterè Clemens appellaverit *plenam, perfectam, totalem*? Stipiti loquatur, qui hoc perſuadere nititur, quæ tandem diminuta erit obedientia, ſi hæc plena, quæ imperfecta, ſi hæc perfecta, quæ mutila, ſi hæc totalis ſit? Ut quid quæſo dogmatibus fidem, facto reverentiam pollicentur hi Epiſcopi, tuque horum æmularis exemplum, niſi

ut

ut illudatis hominibus minus peritis ? Ediſſere nobis ; neque enim ignotum tibi eſt myſterium : an non ideo factum à dogmatibus, & dogmata à facto avellitis, quæ inviolabili nexu ſibi mutuo in hac cauſa implicita ſunt, & circa factum ideo hæretis quaſi ancipites, ut, cum libuerit, dogmata tueamini, neque tamen de violatis Pontificiis conſtitutionibus convinci poſſitis, convincendi aliàs ſi factum ipſum dogmati, ut implicuêre Romani Pontifices, implicitum relinqueretis ? Damnatis dogmatibus fidem promittitis, facto ſive definitioni de ſensu Janſenii non fidem, ſed reverentiam dumtaxat in ſolo ſilentio ſitam, quod aliud eſſe non poteſt, quam fidem non fidem, hoc eſt nihil rei, ſed inanem verborum ſtrepitum damnatis dogmatibus promittere : nemo enim dogma, aut documentum cenſeat inanimatum vocum ſonum, aut characterum congeriem ſine ullo ſensu aut ſignificatione : ſicut ergo dogma aut documentum non eſt, quod nullum ſenſum habeat, ſic dogma Pontificum non eſt, niſi quod ſenſum à Pontificibus decretum, & declaratum contineat : atqui Pontifices expreſsè, iteratis vicibus, & ſumma ſolicitudine declarant ſenſùm, in quo dogmata ſive propoſitiones V. damnant eſſe Sensum Jansenii, ſive quem habent in Libro Jansenii, neque ullum alium ſenſum declarant ſe damnare, ut ipſi oculi veſtri teſtes ſunt : ergo dogmata, à Pontificibus in ſuis conſtitutionibus damnata, ſunt V. propoſitiones in sensu Jansenii & non in alio ſensu : atqui negatis fidem V. propoſitionibus damnatis in sensu Jansenii; ergo præter inanem verborum ſtrepitum, nihil rei promittitis, & Mundo illuditis, dum damnatis dogmatibus fidem promittere imperitis videmini : nam qui Ianſenii ſenſum non damnat, nihil eorum damnat, quod in Pontificum conſtitutionibus continetur, ſed ad ſummum illud damnat, quod ipſe pro libitu ſibi fingit, ac imaginatur. Quæſita illa jus inter & factum in hac cauſa diſtinctio adeo inepta eſt, adeò futile effugium, adeò turpis & fœda cavillatio, ut ipſi eam Calviniſtæ judicent Viris gravibus indignam. Audi quid de ea cenſeat adamatus tibi Iurius, quid de ea non ſuo dumtaxat, ſed & ſuorum nomine loquatur : verba ejus Gallica decerpta ex præfatione Libri, quem inſcripſit *Iuſtification de la Morale* &c Gallicè do, ne vis eorum & energia pereat, ſi transferantur in aliam linguam, ſunt enim exquiſita : *Nous avions eté choquê il y a long temps de l'obliquitè de Mr. Arnauld dans la controverſe du droit, & du fait ſur l'affaire de cincq propoſitions & nous avoins regardê cela comme une chicanerie ſans honneur & ſans bonne foi.* Non ferunt hæretici, non fert ipſe Iurius artes illas malas, & obliquum ac verſipellem animum,

quo

quo exceptionis adeò indignæ primus inventor & artifex Arnaldus, Pontificias conſtitutiones, quantum eſt in ſe, eluſit, eorumque omnem vim infregit. Cavillum vocant *ſine honore, ſine bona fide* id eſt, qui in Virum honeſtum, & cui fidei bonæ ſupereſt aliquid, non cadat. Et Epiſcopos Arnaldi exemplo adeò fædè & turpiter cavillantes tu vocas plenè, perfectè, integrè obedientes, & te auctore, ut tales ipſe Romanus Pontifex Clemens IX. eos ſalutaverit ac commendaverit.

At inquis ita teſtantur ipſa acta.

Quam parum ex actis illis confici poſſit ad obvelandam pertinaciam veſtram ad oculum ſumma eruditione demonſtrat *Auctor Defenſionis Formulæ*, cujus evidentia in hanc rem Argumenta, ne actum agam, prætermitto hic adnectere. Et brevi, ut ſpero, negotio iſti ambulanti in tenebris lucem aliquam afferet Innocentius XII. Profectò ſi nihil hic fraudis interceſſerit, & illa, quam Janſeniſtæ, more ſuo fingunt, verè fuerit Pontificis mens, non potuerunt non illi acquieſcere omnes Galliæ Epiſcopi, non potuit non Sorbona ſubſcribere, non eſt cur amplius quid à ſuis ſubjectis Rex Galliæ exigat: & tamen Epiſcopi exceptionem iſtam non patiuntur, in Sorbonæ ſocietatem admittitur nemo, qui non aliter ejurare damnatas quinque propoſitiones velit, neque Regiis mandatis paret, aut Janſeniſmi à ſe ſuſpicionem amolitur, quiſquis jus à facto in cauſa propoſitionum avellit, ſeque contrà Innocentium X. & Alexandrum VII. ſupremos ſuos judices erigit, Aliud quippe in ipſis dogmatibus damnat, quam quod illi damnarunt.

§. IV.

Reſpondetur ad reliquas Eximii exceptiones.

VErum pergis: ipſa noſtra Societas aliquando ſe Arnaldico illo effugio defendit contra Thomiſtas in exitium Molinæ conſpirantes, dum imminente jam jam fulmine perſuadere conabatur in libello ſuo ſupplici Paulo V. oblato, *tamquam articulum fidei definiri non poſſe, quod dogma de gratia per ſe efficaci à SS. Auguſtino & Thoma traditum fuerit:* ita nempe teſtis omne exceptione major capitaliſſimus Molinæ hoſtis Thomas Lemos refert in Miſcellaneis.

An, & qualis libellus ille ſupplex à Lemoſio exhibeatur, non diſcutio, cum Liber ad manum non ſit, nec operæ pretium videatur conquirendo tempus inſumere: certum eſt enim in iſtis miſcellaneis mul-

Google

tas fabulas affictas eſſe Jeſuitis, & conſtat, quod Auctor iſtius operis aut interpolator, quiſquis fuerit, paſſim nimis liberaliter & nonnumquam enormiter fingendo quidlibet, fidem ſibi & auctoritatem omnem detraxerit. Quare libellus ille ſupplex ſi, quem perſuadere cupis, ſenſum contineat, Lemoſium ipſum, aut potius Ianſeniſtam quempiam qui eum ſubminiſtraverit auctorem habet, non Jeſuitam, apud quos Romanæ Sedis auctoritas majus ſemper pondus habuit. Audi quibus verbis Franciſcus Macedo alias Molinæ hoſtis implacabilis, quemque advocatum tibi alibi adjungis, fabellas Lemoſianis iſtis ſimiles, explodat in Libro ſuo adverſus Thom. Anglum: cum enim quæſtio Theologico Hiſtorica de iſtis Congregationibus maximè injurioſa in lucem edita & ab illo lecta eſſet, ſic ſcribit Articulo 3. *Erit autem æquum, ut quoniam Pontificiæ Sedis & auctoritatis, Societas IESV maxima & acerrima propugnatrix & vindex eſt, nos, qui de propugnanda eadem auctoritate agimus, Societatem quoque à calumnia vindicemus: cum tam conjuncta utriuſque ſit cauſa, ut non poſſit una ſine altera aut defendi, aut oppugnari: quæ ſumma Societatis laus eſt eoſdem habere cum Sede Romana & amicos, & inimicos, ut quicumq; unam amet, & ambas diligat, & qui alteram oderit, ambas oderit. Id mihi legendo compertum, neminem, qui Romanæ Sedi bellum hoſtiu intulerit, non etiam bellum Societati huic IESV Sanctiſſimæ, intuliſſe. Actam fuiſſe Romæ cauſam P. Molinæ & coram Pontifice Clemente primum VIII. deinde Paulo V. agitatam, & ſciunt omnes, & mihi conſtat ..... Incidi in quoddam exemplum hujus diſputationis typis mandatum Anno* 1644. *inſcriptum* QUÆSTIO THEOLOGICA, HISTORICA ET IURIS PONTIFICII *avidiſſimè arripui, accuratiſſimè legi: ſed non omninò acquievi. Deprehendi enim quædam in auctore affecti animi & præoccupati judicij ſigna, quæ illius exempli fidem elevarunt ...... Multa Molinæ imponuntur, quæ ne ſomniavit quidem. Valentiæ ſummo Theologo ineptæ & inſcitæ reſponſiones ſæpe tribuuntur, quæ vel à rudi diſcipulo reddi non poſſent. Iam illa inſignis eſt impoſtura ad concitandam invidiam Societati, Moliniſtas publicè Romæ ſuſtinuiſſe* PONTIFICEM IPSUM ERRARE POSSE *quod n.* 9. *habetur, quæ ſententia maximè eſt à Societate aliena. Certè ut illa eſt & egregiè pia & prudens, nec ſentire illud poſſet, nec ut ſentiret evulgare deberet, iis præſertim (quæ fingit auctor) formidoloſis temporibus.* Tum paucis interjectis ſubjungit, tametſi *maximè à Molinæ ſententiis de gratia, placitiſque diſſentiam, nunquam tamen ad ea impugnanda uti volui* ejuſmodi narratiunculis: utinam ex eo diſcas Magiſter Eximie iſtiuſmodi miſſis fabellis, in quibus maximum, imo unicum fere præſidi-

 um

um collocare hactenus viſus es, aliquid ſolidi afferre, quod doctrinale reſponſum mereatur.

Addis n. 4. *ſimilem fidem* definitionibus Pontificum, *non habuiſſe plures alios ejuſdem Societatis Theologos, Sirmundum, Petavium* &c. Hanc exceptionem cæteris tuis nænüs annumero, donec aliquid probaveris: Petavii & Sirmundi opinio adeo parum tuis & Janſeniſtarum cavillationibus hic favet, ut verba eorum in medium producere erubeſcas, contentus ſolis illorum citatis nominibus, ſed & quæ ibi dicis, & quæ de mente Cardinalium Bellarmini ac Baronii à Janſeniſtis afferri ſolent ſuper hoc negotio, pluribus expoſita ſunt in defenſione Formulæ, ac recentiſſimè à Nicoſtrato in elegantibus ac nervoſis contentionibus, quas ſi lubet conſule.

Ultimo loco Harduini Perefixii Pariſienſis Archi-epiſcopi decretum quoddam comminiſceris, quo, ut ais, *aſſertionem meam minimè probaſſet.*

Ad hoc Decretum reſpondebo, quando bonâ mihi fide expones ubi, & unde illud hauſeris. Quam multa Perefixio à fœderatis tuis afflicta ſint, non Gallia ſola, ſed Orbis univerſus novit. Quamquam illud ipſum, quod Perefixius in citato à te loco exigit, minimè præſtas: exigit enim, *ut quis judicium ſuum, judicio Superiorum* ſive Romanorum Pontificum *ſincerè ſubmittat.* Quod ſi præſtares, nulla, vel parva tibi mecum eſſet diſſenſio, neque tergiverſareris provocatus toties ad ſubſcribendum citrà exceptionem Alexandrinæ Formulæ.

§. V.

Excutiuntur, quæ reponit Eximius ad rationem alteram, quâ oſtenſum eſt, promiſſam reverentiam ab illo minime præſtari.

NUnc ad crimen atrox alterum, & priori multo gravius, quod impactum tibi flebiliter quereris, accingor: illud videlicet, quod diminutam illam tuam obedientiam, quâ dogmatibus fidem, facto reverentiam toties ſolemniter promiſiſti, non impleas. Prætereo, quod in nupera reſponſione oſtendi, non niſi obſtinatiſſimam pervicaciam, ſub ſpecioſo reverentiæ vocabulo à vobis palliari. Quis enim ſentiat illum reverenter alterius dicta excipere, qui nihil quidem illis obloquitur, ſic tamen, ut ſincere loquenti, palam recuſet, fidem habere, & hoc quidem, quod reſpectu cujusvis Viri probi, ac honeſti, foret impudentiſſimum ac non ferendum, Tu ſub reverentiæ nomine nobis

ſtudes

Digitized by Google

ſtudes obtrudere, dum ita agis, erga Chriſti Vicarios, Romanos Pontifices, legitimos fidelium omnium Superiores, totius Eccleſiæ Doctores, quorum vocem audire teneantur quotquot Chriſti oves ſunt, dum inquam ita agis ergà illos, *quibus ſcimus in B. Petro paſcendi, regendi, gubernandi, univerſalem Eccleſiam à Domino noſtro IESV Chriſto plenam poteſtatem traditam eſſe*, ut promittas quidem te oblocuturum nihil, ubi ex plenitudine poteſtatis hujus, & Chriſti vices gerentes, ſolenniter definiunt ſenſum in Pſeudo-Auguſtino Janſenii expreſſum eſſe hæreticum, cui declarationi tota ſe ſubmittit Eccleſia, ſic tamen, ut cum filiis iniquitatis, & tranquillitatis publicæ perturbatoribus, palam renuas judicium tuum definitioni tam ſolenni ſubmittere: exhorreſcunt piæ aures ad ſolam tantæ indignitatis cogitationem, neque tamen hic ſiſtit tua irreverentia, gravioris criminis te convinco, dum inſuper promiſſi hujus ſilentii violatorem extitiſſe te oſtendo. Non injuria id à me exprobratum eſſe probant, quæ in Theſibus anni 1688. 14. Octobris defenſis ſcribere de Semi-pelagianis ſuſtines, neque adhuc retractas. Contenderam ego à veritate procul aberrare, quotquot exiſtimant, Semi-pelagianos neceſſitatem gratiæ interioris admiſiſſe etiam ad initium fidei, idque ſtabiliveram per hanc è quinq; Janſenianis propoſitionibus quartam: *Semi-pelagiani admittebant interioris gratiæ neceſſitatem ad ſingulos actus, etiam ad initium fidei &c.* Quod Pontificium Oraculum hoc quaſi ſibilo excipis Theſium tuarum Concl: 1. §. 7. *quam hoc imbelle! quis enim neſciat, damnari hanc propoſitionem potuiſſe, eo quod cum ſit bimembris, falſa & hæretica eſſe queat, dummodo alterutrum è duobus membris falſum ſit & hæreticum? Poteſt itaque verum eſſe quod Pelagiani admiſerint prævenientis gratiæ neceſſitatem ad ſingulos actus, etiam ad initium fidei, dummodo falſum ſit (uti revera eſt) ideo eos hæreticos fuiſſe, quod vellent eam gratiam talem eſſe, cui poſſet humana voluntas reſiſtere, vel obtemperare.* In diſſertatione vero Theologica nihilo magis te reverentem exhibuiſti erga eaſdem Apoſtolicas conſtitutiones, & promiſſi memorem ita ſcribens pag. 8. *Cæterum circa priorem cenſuræ iſtius partem, in qua dicitur Semi-pelagiani &c. In Scholis Catholicis omnes inter Magiſtros non convenit, illis, quod in aſſertione dicitur affirmantibus, aliis id negantibus:* ad quæ verba ſic expoſtulaveram in mea Theſi nupera. *Quaſi vero, poſt claram, & manifeſtam Pontificum declarationem, quiſque pro arbitrio ſuo ſtatuere poſſet, quod vellet. Inſignem enimvero Eximii noſtri reverentiam, quam præſtat erga Conſtitutiones Apoſtolicas* &c. Nunc iterum, ac tertiò pergis propoſiti tenax ſcribere Epiſtolæ tuæ §. 3.

C 2 *Sub-*

ſubſiſteret quam optimè Summorum Pontificum cenſura, etiamſi prior pars propoſitionis (quam ipſi damnaverunt ut falſam) *foret vera, hac nempe: Semi-pelagiani admittebant prævenientis gratiæ interioris neceſſitatem &c.* Idque à te adeo nervosè tamque invictis rationibus eſſe effectum jactas, ut ego toto triennio ad eas coactus ſim obmuteſcere. Quæ quæſo invictæ illæ rationes fuerunt?

Prima, reſpondes, dic ſola, quia quam ſecundo loco adjungis, ad quam mox reſpondebo, à te nunquam antea adhibita fuit, & ſi præter primam adhibuiſſes aliquando aliam, quæ pondus aliquod mereretur, non prætermiſiſſes illam Epiſtolæ tuæ rurſum inſerere, tu, qui ad nauſeam uſque & faſtidium toties ſub alia inſcriptione amas eadem dicere, ut qui unum tuum ſcriptum legerit, dicere poſſit, ſe legiſſe omnia: Achillea ergo tua ratio eſt, *quod cum propoſitio damnata ſit copulativa, ſufficiat ad hoc, ut ſit falſa & hæretica, quod una ejus pars vere talis ſit, licet altera vel vera ſit, vel ſaltem certè non ſit falſa.*

Ais, quod ad hanc triennio toto coactus obmutuerim? Quod nihil tuleris reſponſi? Et tamen nulli Jeſuitæ licet eſſe muto, ſi vobis fides, atque ut ipſe gratiosè inſinuas, ne dicam exprobras, ſemper gloriam ultimæ reſponſionis aucupantur Jeſuitæ. Nihil tuliſti reſponſi? Ubi tua eſt memoria Vir Eximie? Neque enim volo expoſtulare de fide, ubi memoria inquam? Forte ſperaſti reſponſionem meam in Lectorum animis tanto temporis intervallo, potuiſſe obliterari: ut renoventur veſtigia, rurſus ſubiicio quæ reſpondi Anno 1688. cum non erubuiſti primum hoc in lucem protrudere, & apertus conſtitutionum Apoſtolicarum in hoc eſſe contemptor: hæc ergo repoſui §. 4. " Bimembris eſt propoſitio, ſed duplici etiam inuritur cenſurâ,
„ quarum prima poteſt in primum membrum cadere, altera in ſecundum. Bimembris eſt propoſitio, ſed cujus utrumque membrum aſſe-
„ ruit Ianſenius, cujus errores ex profeſſo damnant Pontifices. Bi-
„ membris eſt propoſitio, ſed cujus ſecundum membrum jam virtua-
„ liter damnatum erat in ſecunda Ianſeniana, adeòque non ita novâ
„ damnatione indigebat, niſi in quantum cum primo membro con-
„ jungebatur, quod proin ad minus æque damnari præſumi debet. Bi-
„ membris eſt propoſitio, ſed cujus primum membrum ſine ullo uſu
„ bono adjectum eſt, niſi etiam ſit damnatum, nec tantum ſine uſu
„ bono, ſed ad fovenda nova in Eccleſia diſſidia, contendentibus om-
„ nibus, qui reverenter Decreta Pontificum excipiunt, utrumque
„ membrum damnatum eſſe, cum ſoleant & debeant Pontifices, cum
„ per ſolennes declarationes fideles inſtruunt, loqui clarè & diſtinctè
amo-

„ amovendo omnem dubietatem, quam maximam reliquiſſent, niſi „ ſimul damnaſſent primum membrum. Quid reponeres, Vir Eximie, „ contendenti ad merendum in ſtatu naturæ lapſæ non requiri in homine libertatem à neceſſitate, etiam poſtquam hæc Janſeniana tertia „ damnata eſt: ad merendum & demerendum in ſtatu naturæ lapſæ „ non requiritur in homine libertas à neceſſitate, ſed ſufficit libertas „ à coactione. Quid ſi enim abjectâ reverentiâ tecum in hunc modum „ reſpondeat aliquis: quis enim neſciat damnari hanc propoſitionem „ potuiſſe, eò quod, cum ſit bimembris, hæretica eſſe queat, dummodo alterutrum è duobus membris hæreticum ſit? Poteſt itaque „ verum eſſe, quod ad merendum non requiratur libertas à neceſſitate, dummodo falſum ſit (ſicut revera eſt) qnod ad merendum non „ requiratur libertas à neceſſitate. Et erit, quare fingat majorem libertatem requiri ad demerendum, quam ad merendum, cum Deus ſua „ dona coronet, non ſua delicta puniat, quæ nulla habet, & ad quæ „ nullum impellit. Sicque ſalvâ ſubjectione, qualem Eximius ſervat „ erga definientes Pontifices, ſuſtinebitur etiamnum cum Janſenio „ gratiam in ſtatu naturæ lapſæ neceſſitare. Nec erit, quod timeatur à „ 2. Janſeniana, quâ definitur gratiæ reſiſti: vel 4, quâ exprimitur, „ ei poſſe reſiſti: nam iis explicandis facilè quis mutuabitur à Janſeniſtis effugium, dicendo, quod reſiſtatur gratiæ, adeòque reſiſti poſſit, „ prout Pygmæus reſiſtit giganti, à quo reluctans opprimitur. Quis „ hæc reverens Eccleſiæ filius ſuſtineat? Suſtinet tamen Eximius, nec „ tantum ſuſtinet, ſed argumentum à tali definitione petitum, ut imbelle, exſibilat" Ad hæc tu Doctor Eximie more tuo diu ſiluiſti, & ſiles etiamnum.

Nunc ad alteram rationem tuam, quæ adeo miſerabilis eſt, ut Dialecticæ tironem magis, quam Doctorem ſapiat: *Ratio ſecunda* inquis *hac eſt: quod licet utraque iſtius propoſitionis pars foret falſa, adhuc ſubſiſteret, quod à Semipelagianis aliqui admiſerint, etiam ad initium fidei prævenientis gratiæ interioris neceſſitatem: nam eo non obſtante adhuc damnata meritò ea foret propoſitio tamquam falſa, utpote, quæ indefinitè, adeoque univerſaliter aſſerit, Semipelagianos admiſiſſe prævenientis gratiæ interioris neceſſitatem ad ſingulos actus, etiam ad initium fidei.*

Subtilitas hæc, vel potius captioſum litis implicandæ artificium tui ingenii fœtus non eſt, ſed ex venenoſo Ianſenii fonte illud hauſiſti l. 8. de hæreſi Pelagiana cap. 6. col. 456. ubi ipſe etiam duos hæreticorum illorum ordines diſtinguit, ac diligenter *obſervatum* vult, *non omnes*

omnes unum idemque ſenſiſſe Semipelagianos, quare de illis *dumtaxat* contendit, quod admiſerint interioris gratiæ neceſſitatem etiam ad initium fidei, *quorum opinionem & dogmata Proſper & Hilarius Auguſtino cenſenda, & refutanda prodiderunt.* Exceptioni huic mox faciam ſatis, ubi ad Sophiſma tuum directè reſpondero. Tota ergo vis & efficacia in hoc conſiſtit, quod propoſitio à Pontificibus damnata, indefinita & dogmatica ſit.

At quia indefinita, & dogmatica eſt Eximie Doctor, idcirco ante oculos nobis clarè ponit, in quo dogmate ſita ſit Semipelagianorum hæreſis, in hoc utique uno capite, ex quo cæteri illorum errores, velut rami è radice naſcuntur, videlicet, quod interioris gratiæ neceſſitatem negarent, ſaltem ad initium fidei. Exceptio tua tam peregrina non foret, ſi ad plura quædam puncta capitalia Semipelagianiſmus ſe extendiſſet, ſi v. g. non ſolum neceſſariam ad initium fidei Chriſti gratiam negaſſent, verum etiam cum Pelagianis peccatum originis ſuſtuliſſent: potuiſſent enim tunc in ultimo hoc ſaltem capite Semipelagiani manſiſſe, etiam qui neceſſitatem gratiæ ad initium fidei admitterent: nunc vero, cum totus Semipelagianiſmus pendeat ex uno dogmate, non potes aſſerere aliquos ſimile dogma non tradidiſſe & ſimul ſtatuere illos eoſdem, ſemipelagianos fuiſſe.

Exiſtimo Vir Eximie te aliquid de Pelagiana & Semipelagiana hiſtoria legiſſe, Ianſenium ſaltem te de hac re legiſſe profiteris & facto ipſo te eum legiſſe abundè commonſtras: Ianſenio forte junxiſti alium quempiam è Calvini grege. His habuiſti fidem, quod enim cupit aliquis, hoc facilè credit. At dic nobis qua in re erant Semipelagiani iſti aliqui, qui, te Auctore, admittebant gratiæ interioris neceſſitatem, etiam ad initium fidei? Non auſis apertè, ut ſpero, ad alterum damnatæ propoſitionis membrum confugere, quo confugit Ianſenius, & Calviniſtæ confugiunt: quamquam eo propendêre viſus ſis, quando gratiam prout à Molina ad veterum Patrum normam explicatur, & adſtruitur, appellabas gratiam *meræ poſſibilitatis.* Qua inquam in re erant iſti aliqui Semipelagiani? Auguſtinus, Proſper, Hilarius & quotquot olim fuerunt Semipelagianiſmi debellatores, id unum in ipſis culpant, id unum olim habitæ Synodi proſcribunt, earumque exemplo Concilium Triden. cavit tamquam capitalem eorum errorem gratiæ ſcilicet cæleſtis ad initium fidei negatam neceſſitatem. Hanc qui admiſerunt vel eximendi ſunt Semipelagianorum numero, vel ad alterum Janſenii membrum confugiendum eſt, vel tertium aliquid, & priſcis ſæculis incognitus excogitandus eſt à te Semipelagianiſmus de quo libenter differentem audiam.

§. VI.

Digitized by Google

§. VI.

Evincitur capitalem omnium Semi-pelagianorum errorem conſiſtere in negata interioris gratiæ neceſſitate ad initium fidei.

CUm hactenus renuas fidem habere Pontificibus ſolenniter multoties definientibus, conſentiente totâ Eccleſiâ errorem Semi-pelagianorum in eo ſitum, quod negaverint interioris gratiæ neceſſitatem etiam ad initium fidei, ne quid à me deſiderare poſſis ulterius, exhibeo è multis pauca quæ SS. Proſper & Hilarius in ſuis litteris ad Aug: miſerunt, & quæ ad eos Auguſtinus reſcripſit in libris de prædeſtinatione SS., ac de dono perſeverantiæ: hos enim ſolos Semi-pelagianos certè aliquos ex illis de quibus in iſtis litteris ac libris ſermo eſt, contendit Ianſenius interioris gratiæ neceſſitatem ad initium fidei admiſiſſe, neque exiſtimo in alios quam in iſtos te fuiſſe intentum, dum idem cum Ianſenio jam condemnato, contendere non erubeſcis: ſic ergo de præcipuo Semi-pelagianorum errore Proſper & Hilarius Auguſtinum inſtruunt, ut aſſerant eos ad opera quidem perfecta gratiam affirmare, ita tamen, ut initium aliquod juſtitiæ & ſalutis eſſet à nobis, nimirum fidei exordium, vel primus niſus, ſeu tenue deſiderium ſalutis obtinendæ, quod deſiderium inter opera bona non numerabant, quemadmodum in ægro voluntas adhibendi medici, vel certa de remedio concepta fiducia, nondum cenſetur eſſe pars aliqua curationis, quæ comparatio Hilarii eſt in laudata Epiſtola. *Hæc* inquit Proſper *ipſorum definitio ac Profeſſio eſt, omnem quidem hominem Adam peccante, peccaſſe, & neminem per opera ſua, ſed per Dei gratiam regeneratione ſalvari:* in quibus orthodoxi erant, &c, ut mox referemus, ab Auguſtino commendantur: *univerſis tamen hominibus propitiationem, quæ eſt in Sacramento ſanguinis Chriſti, ſine exceptione eſſe propoſitam*, non ſimpliciter, ut à Catholicis anti-Janſenianis aſſeritur; ſed *ut quicumque ad fidem & ad Baptiſmum accedere voluerint*, naturali facultate ut ex adjuncto patet, *ſalvi eſſe poſſint: qui autem credituri ſunt, quive in ea fide*, cujus initium non eſt à gratia, ſed, *quæ deinceps per Dei gratiam ſit juvanda, manſuri ſunt, præſciſſe ante mundi conſtitutionem Deum, & eos prædeſtinaſſe in regnum ſuum* propter merita ſaltem ex parte naturalia in quantum initium fidei merè naturale contineant

Digitized by Google

nent *ideoque omnem hominem ad credendum , & ad operandum divinis inſtitutionibus* , ſive Scripturis *admoneri, ut de apprehendenda vita æterna , nemo deſperet , cum voluntariæ devotioni* naturalis arbitrii , *remuneratio ſit parata* , quod confirmant hæc adjuncta Proſperi verba , *nec conſiderant ſe gratiam Dei, quam comitem* ad opera fidem ſubſequentia, *non præviam humanorum velint eſſe meritorum , etiam illis voluntatibus* ſive volitionibus naturalibus piæ credulitatis *ſubdere* ſeu poſteriorem facere , ut ſcribit in carmine de ingratis cap. 13. ubi exprimit quomodo juxtà errorem Semi-pelagianorum Deus deberet expectare ab homine primum credulitatis affectum antequam ſuam gratiam infunderet.

Quem (hominem) *fruſtra juviſſe velit* (Deus) *niſi præferat ille Affectum , cujus comitetur gratia curſum.*

Pergit S. Proſper in Epiſtola *quantum ad Deum pertinet, omnibus paratam vitam æternam , quantum autem ad arbitrii libertatem , ab his eam apprehendi , qui Deo ſponte crediderint* , ET AUXILIUM GRATIÆ MERITO CREDULITATIS ACCEPERINT & infra *divino adſcribere operi Sanctorum merita formidant* quia volebant ſibi ſervare ſaltem initium fidei & ſalutis:unde addit : *ita demum poſſe unumquemque ad correctionem , aut ad profectum vocari , ſi ſe ſciat , ſuâ diligentiâ* (naturali) *bonum eſſe poſſe , & libertatem ſuam ob hoc Dei auxilio juvandam* , nota juvandam , non adjutam , *ſi , quod Deus mandat , elegerit.* Denique eundem capitalem errorem his verbis ſubjungit : *cum in his , qui tempus acceperunt liberæ voluntatis* ſive in adultis , *duo ſint , quæ humanam operentur ſalutem,Dei ſcilicet gratia,& hominis obedientia* quæ exſuo & catholicorum ſenſu ſcribit Proſper addens quid ſentirent Semipelagiani, videlicet , PRIOREM VOLUNT OBEDIENTIAM ESSE , QUAM GRATIAM, UT INITIUM SALUTIS EX EO,QUI SALVATUR, NON EX EO CREDENDUM SIT STARE , QUI SALVAT , ET VOLUNTAS HOMINIS , DIVINÆ GRATIÆ SIBI PARIAT OPEM , NON GRATIA SIBI HUMANAM SUBIICIAT VOLUNTATEM .... *Unde in iſtis Pelagianæ pravitatis reliquiis non mediocris virulentiæ fibra nutritur, ſi principium ſalutis malè in homine collocatur ; ſi divinæ voluntati impiè voluntas humana præfertur & ideo quis adjuvetur , quia voluit, non ideo quia adjuvatur velit:*ubi clarè vides voluntatem humanam poni ut cauſam , & meritum gratiæ , ac proinde gratiam Dei non præcedentem ſtatui & gratuitam , ut deberet , ſed ſubſequentem & pediſſequam. Quod iterum inculcat in ſequentibus dum addit : *ſi originaliter malus* ſive natus in peccato originali , *receptionem boni* , NON A SUMMO BONO (Deo) SED A SEMETIPSO INCHOARE MALE CREDITUR.

Ne-

Neque minus clarè caput Semi-pelagiani erroris deſcribit Hilarius in Epiſt. ad eundem Auguſt. *hac ſunt itaque*, inquit, *qua Maſſilia, vel aliis etiam locis in Gallia ventilantur: novum & inutile eſſe prædicationi, quod quidam ſecundum propoſitum eligendi dicantur, ut id nec arripere valeant, nec tenere*, NISI CREDENDI VOLUNTATE DONATA. negabant ergo donatam voluntatem credendi ſive initium fidei, quod tamquam ſibi proprium & non per gratiam acceptum ſemper vindicabant. Pergit hoc narrare Hilarius his verbis: *quod enim dicitur: crede, & ſalvus eris. Vnum horum exigi aſſerunt*, videlicet credere tamquam quid exiſtens in noſtra poteſtate independenter à gratiæ adminiculo, *aliud*, ſalutem ſcilicet ſeu ſanitatem animi, *offerri* .... *nam illa teſtimonia, ut eſt illud: ſicut unicuique partitus eſt menſuram fidei & ſimilia, ad id volunt valere*; *ut adjuvetur* (non ut præveniatur) *qui cœperit velle, non, ut etiam donetur ut velit.* Et infra: contendunt, *nec de hac fide poſſe dici quid habes, quod non accepiſti* unde in eadem epiſtola Hilarius *de compendio*, inquit, *putant rationem reddi electorum, vel rejectorum in eo, quod unicuique meritum propriæ voluntatis adjungitur.*

Inſpiciamus modo, quo hæc ſenſu acceperit Auguſtinus, & quid ad confutandum Semi-pelagianorum errorem ipſe reſcripſerit libro de prædeſtinatione Sanctorum, quem ut errantes in viam reduceret elucubravit. Quid toto hoc opere diſputaverit refert initio Libri de dono perſeverantiæ: *in priori*, inquit, *Libro* (qui fuit de præd: SS) *cum ageremus de initio fidei.* Eundem ſcopum ſuum ſtatim ob oculos ponit lib. de Præd: SS: caput ſecundum his verbis exordiens: *prius itaque fidem, quâ Chriſtiani ſumus, donum Dei eſſe debemus oſtendere*: ſed cum hanc materiam tractaſſet antea copioſè contrà Pelagianos, ſolidè demonſtrans omnem fidem, adeoque tam incipientem, quam auctam atque perfectam ex Deo eſſe, mox addit; *ſi tamen diligentius id facere poſſumus, quam in voluminibus tot, tantiſque jam fecimus*, quod ipſum agnoverat Proſper, rogans tamen, ut actum denuo agere ne gravaretur: *neceſſarium* ſubdit ad calcem Epiſtolæ ſuæ *& utile eſt, etiam quæ ſcripta ſunt ſcribere, ne leve exiſtimetur, quod non frequenter arguitur.* Pergit itaque Auguſtinus, & ſimul dilucidè ob oculos ponit in quo errore Semi-pelagiani hæſitent, unde eos omni ſtudio educere conatur. *Nunc eis reſpondendum eſſe video*, inquit, *qui divina teſtimonia, quæ de hac re adhibuimus, ad hoc dicunt valere, ut noverimus*, EX NOBIS QUIDEM NOS HABERE IPSAM FIDEM, *ſed incrementum ejus ex Deo*; TAMQUAM FIDES NON AB IPSO DONETUR NOBIS, SED AB IPSO TANTUM AUGEATUR IN NOBIS EO MERITO, QUO

CEPIT A NOBIS. In quo errore convellendo Auguſtinus tam prolixus, & continuus eſt toto operis hujus decurſu, ut metuat, ne faſtidium & tædium legenti creaverit ſua prolixitate, & iterata inculcatione, quam ignoſci ſibi poſtulat, caput ultimum his verbis concludens: *Dent veniam: nova enim quæſtio ad hoc nos compulit: quia cum in prioribus opuſculis noſtris, ſatis idoneis teſtimoniis egiſſemus, donum Dei eſſe etiam fidem, inventum eſt, quod contradiceretur, ad hoc valere illa teſtimonia, ut oſtendant Dei donum eſſe incrementum fidei:* INITIUM VERO FIDEI, QUO IN CHRISTUM PRIMITUS CREDITUR, AB HOMINE IPSO ESSE, NEC ESSE DONUM DEI, *ſed exigere Deum, ut, cum id præceſſerit, cætera tamquam hoc merito conſequantur, quæ Dei dona ſunt; quod videtis, quam ſit abſurdum: propter quod inſtitimus, quantum potuimus, ut etiam* IPSUM INITIUM FIDEI, DONUM DEI ESSE OSTENDEREMUS *Quod etſi diutius fecimus, quam forſitan vellent hi, propter quos fecimus, hinc ab eis reprehendi parati ſumus, dum tamen etſi multo diutius quam vellent, etſi cum faſtidio ac tædio intelligentium, fateantur nos feciſſe, quod fecimus, ideſt etiam initium fidei donum Dei eſſe docuiſſe.* Hic Te compello Magiſter Exim: cenſen Auguſtinum tam parum attendiſſe, quid, & quibus ſcriberet, dum hunc unicè ſibi ſcopum præfixit & tantum operæ poſuit ut evinceret initium fidei, non ex nobis, ſed ex Dei gratia eſſe, ſi id ultro admiſerint illi, quibus convertendis tam impensè ſtudebat? Cenſen de iis univerſim, & ſine diſcrimine ita ſcripturum fuiſſe, ſi magna eorum pars, in hoc ipſi conſenſerit? Cenſen tanto molimine, & velut ſummam rei omni contentione illud acturum, quo obtento, ut tu quidem ſtudes imponere, effeciſſet nihil, aut parum adeò, ut in quo fuerant, permanſiſſent errore, ſi quis alius error ſit Semi-pelagianis proprius? Hæc ſi tibi minus ſufficiant plura habe. Proſequitur Auguſtinus quibuſdam interjectis: *Putant ex nobis eſſe fidei captum & ex Deo eſſe fidei ſupplementum.* & de dono Perſeverantiæ cap. 17. *Fidem & incipere habere, & in ea uſque in finem permanere, tamquam id non à Deo accipiamus, noſtrum eſſe contendunt*, & paulo poſt: *nolunt hominibus prædicari dona Dei eſſe, ut perveniatur ad finem, & permaneatur in fide.* iterum infra: *non à Deo dari, ſed à nobis eſſe contendunt initium fidei.*

Quos eodem capite blandè ab errore volens revocare, *Cavendum eſt*, inquit, *fratres dilecti à Deo, ne homo ſe extollat adverſus Deum, cum ſe dicit facere, quod promiſit Deus: Nonne fides gentium promiſſa eſt Abrahæ, & ille dans Gloriam Deo pleniſſimè credidit* &c. Deinde inconvenientiam erroris luculentius obiiciens *ideò* interrogat *homo* ſibi

primas

primas ejus (fidei) *vendicat partes* , *ut noviſſimas ab illo* Deo *accipere mereatur ?* Cumque confutaſſet hæc ex Apoſtolo ad Romanos 12. dicente *unicuique Deus partitus eſt menſuram fidei* , Caput concludens oſtendit , non tantum fidem perfectam , ſed etiam initium ejus ſeu primam bonam voluntatem juxta Scripturarum teſtimonia Deo eſſe tribuendam ; *nolens ergo his tam claris teſtimoniis repugnare* , *& tamen* VOLENS A SEIPSO SIBI ESSE , QUOD CREDIT , *quaſi componit homo cum Deo* , UT PARTEM FIDEI SIBI VENDICET , *atque illi partem relinquat* , *& quod eſt clarius* PRIMAM TOLLIT IPSE , *ſequentem dat illi* , *& in eo* , *quod dicit eſſe amborum* , PRIOREM SE FACIT , *poſteriorem Deum*. Hæc in fronte libri collocat Auguſtinus pluribus convellenda per decurſum. Et ne quis dubitet , quin mentem Semi-pelagianorum exactè aſſecutus ſit , mox tertio Capite agnoſcit ſe aliquando in eodem errore fuiſſe verſatum , quem his verbis declarat : poſtquam retuliſſet teſtimonium Apoſtoli 1. ad Corint. 4. *Quid autem habes* , *quod non accepiſti* &c. *quo præcipuè teſtimonio* , inquit , *etiam ipſe convictus ſum* , CUM SIMILITER ERRAREM , PUTANS FIDEM , QUA IN DEUM CREDIMUS NON ESSE DONUM DEI , SED A NOBIS ESSE IN NOBIS , *& per illam nos impetrare Dei dona* , *quibus temperanter* , *& juſtè* , *& piè vivamus in hoc ſæculo*. NEQUE ENIM FIDEM PUTABAM DEI GRATIA PRÆVENIRI , *ſed ut prædicato nobis Evangelio conſentiremus* , NOSTRUM ESSE PROPRIUM, ET NOBIS EX NOBIS ESSE ARBITRABAR: ſubjungit cap. 4. IN QUA SENTENTIA , ISTOS FRATRES NOSTROS (Maſſilienſes) ESSE NUNC VIDEO. Poteratne evidentius loqui Auguſtinus contra Janſenium , pro cauſa Romanorum Pontificum ? Non minus dilucidè eundem errorem deſcribit lib. de dono perſeverantiæ cap. 17. FIDEM *&* INCIPERE HABERE , *& in ea uſq; in finem permanere* TAMQUAM ID NON A DEO ACCIPIATUR , NOSTRUM ESSE CONTENDUNT : & paulò poſt : *Nolunt hominibus prædicari* DONA DEI ESSE , UT PERVENIATUR AD FIDEM, *& permaneatur in fide*. Iterum infra: NON A DEO DARI SED A NOBIS ESSE CONTENDUNT INITIUM FIDEI.

Ex his omnibus tum Proſperi , tum Hilarii , tum Auguſtini verbis luce clarius apparet capitalem & univerſalem Semi-pelagianorum errorem in eo conſiſtere , quod ſicut primi Pelagiani aſſeruerunt naturalem homini poteſtatem ad perfecta virtutum opera , & ad impletionem mandatorum Dei, quod Pelagius ſtabilire ſtuduit opere quod edidit in laudem naturæ , & ab Auguſtino confutatur libro de natura & gratia : & ſicut poſtremi Pelagiani ſub Juliano perfectionem quidem operum Deo reliquerunt , ſic tamen ut retinerent ſibi operis initium

 quod

quod perficeretur à Deo uti multis deſcribit & convellit Auguſtinus contra duas Epiſtolas Pelagianorum ad Bonifacium lib. 2. c. 8. ità Semi-pelagiani abdicare à ſe nunquam paſſi ſunt, fidei ſaltem initium, & uſque in finem in ea perſeverantiam, ſic ùt admitterent quidem gratiam eſſe neceſſariam ad completam & perfectam fidem, non tamen ad initium illius ad quod ſuſtinebant humànam voluntatem ſufficere, ut congenitis ſibi viribus credendi & piè vivendi volitionem eliceret, cui conatui purè naturali, gratia Dei ſubjungeretur, neceſſaria ad fidei perfectionem & completionem, non ad illius initium *nullam* naturam ut Hilarius in Epiſtola ad Auguſtinum ſcribit *ita depravatam vel extinctam putant, ut non debeat, vel poſſit ſe velle ſanari.* Ex quo meritò deducit Auguſtinus de Prædeſt. SS. c. 2. *Non ergo receditur ab ea ſententia, quam Pelagius ipſe in Epiſcopali judicio Paleſtino damnare compulſus eſt, gratiam Dei ſecundum merita noſtra dari, ſi non pertinet ad Dei gratiam, quod credere capimus, ſed illud potius, quod propter hoc nobis additur, ut plenius perfectiuſq; credamus.* Rectiſſimè concludit Auguſtinus per hunc Semi-pelagianorum errorem non recedi à damnata Pelagii ſententia: quia, quemadmodum Pelagius totum ſalutis negotium ſuis viribus vindicabat, procul ablegatâ cæleſtis auxilii neceſſitate, ita ut ſe Deo hac in parte ejuſque cæleſti gratiæ nequaquam crederet obnoxium, ita Semi-pelagiani viribus ſuis arrogabant tanti negotii initium, & primum veluti divini illius ædificii lapidem, cui tamquam fundamento æterna ſalus obtinenda incumberet, tametſi concurrere ad reliquam ædificii partem architectum Deum minimè inficiarentur. Quæ erat non mediocris, neque leviter caſtiganda eorum ſuperbia: ſibi enim, & non Deo adſcribebant radicem cæleſtis beatitudinis, ex qua radice reliqua gratiarum ſeries flueret, atq; ipſum etiam perſeverantiæ donum: unde totum ſibi ſalutis opus, utpote radici huic incumbens, arrogare cenſebantur.

Ex hoc errore, veluti ex matre non infœcunda, conſequuntur errores alii concatenati: 1. Deum ſine delectu gratias omnibus offerre promiſcuas, nullâ horum, aut illorum habitâ ſingulari cura. 2. Chriſtum ſic pro univerſo humano genere fudiſſe ſanguinem, ut officinam gratiarum omnibus aperuerit, ita expoſitam, ut quiſque, quas vellet, conatibus ſuis naturalibus poſſet arripere. 3. Ab hocce ſpurio conatu, meritiſque adulterinis prævisis, pendêre ſalutem, & prædeſtinationem uniuſcujuſque: qui tres errores cum priore adeò connexi, conjunctique ſunt, ut unus potius error videri poſſit & una hæreſis. *Quantum ad Deum pertinet* aſſerunt apud Proſperum in laudata Epiſtola ultra me-

medium *omnibus paratam vitam æternam , quantum autem ad arbitrii libertatem., ab his eam apprehendi , qui Deo ſponte crediderint* per fidem merè naturalem prævenientem gratiam , ſequitur enim *& auxilium gratiæ merito credulitatis acceperint.* Præmiſerat ex eorum mente : *nec vacillare illud , quod Deus omnes homines velit ſalvos fieri , & in agnitionem veritatis venire , quandoquidem inexcuſabiles ſint , qui ad unius veri Dei cultum potuerint inſtrui intelligentia naturali.* Eodem ſenſu addunt *pro univerſo humano genere mortuum eſſe Dominum noſtrum IESUM Chriſtum , & neminem prorſus à redemptione ſanguinis ejus exceptum.* Unde deducebant eos , *qui in fide* viribus naturæ comparata , *quæ deinceps per Dei gratiam , ſit juvanda , manſuri ſunt , præſciſse ante mundi conſtitutionem Deum, & eos prædeſtinaſſe in regnum ſuum.* Diceceres ex eodem venenato fonte , plures ſcaturire infectos rivulos.

Capitale autem & univerſale dogma hæreſios Semi-pelagianæ in hoc uno conſiſtere , quod fidei initium , naturæ viribus arrogarent , nec amplius quidquam , ut ſe Catholicos probarent , exegiſſe ab eis Aug. , quam ut ſalutis initium divinæ gratiæ quoq; tribuerent , patet ex Aug: verbis de præd: SS: c. 1.*pervenerunt* inquit *iſti fratres noſtri, pro quibus ſollicita eſt pia caritas veſtra, ut cum Eccleſia Chriſti præveniri voluntates hominum Dei gratia fateantur* , non ad initium fidei, ſicut latius exponit capite ſecundo , ſed *ut ad nullum opus bonum vel incipiendum , vel perficiendum , ſibi quemquam ſufficere poſse conſentiant* , in quo ſummoperè eos commendat , ſubdens : *retenta ergo iſta in quæ pervenerunt , plurimum eos à Pelagianorum errore diſcernunt.* Si ergo ſicut ad initium bonorum operum , ita etiam ad initium fidei præveniri hominum voluntates confeſſi fuiſſent , quid reliquum erat , in quo ab Eccleſia Chriſti , atque adeo ab Auguſtino diſcrepaſſent ? Tantum abeſt ut diſcrepaſſent, ut S. Proſper contra Collatorem , Adverſarium ſuum (Caſſianum) ſummè commendet & Doctorem Catholicum compellet,*Catholiciſſimam* aſſerentem doctrinam,ubi fidei & bonæ voluntatis initium divinæ gratiæ adſcripſerat *talem* inquit c. 1. *ſtuduit proferre doctrinam , quæ inter initia Diſputationis à veritatis pietate non diſsonat & juſto honorari præconio mereretur , niſi præcipiti lævoq; progreſsu ab inchoata rectitudine deviaret.* Quam verò Collatoris doctrinam ut tanto præconio dignam commendat hic Proſper ? Non aliam , quam , quæ immediatè non ſine nova laude ſubiicit: " intulit , ,, ait, definitionem Catholiciſſimam dicens,non ſolum actuum , verum ,, etiam cogitationum bonarum ex Deo eſſe principium : qui nobis & ,, initia Sanctæ voluntatis inſpirat , & virtutem atque opportunitatem

corum

,, eorum , quæ rectè cupimus, tribuit peragendi , omne enim datum ,, bonum, & omne donum perfectum de ſurſum eſt deſcendens à Pa- ,, tre luminum , qui & incipit , quæ bona ſunt , & exequitur , & ,, conſummat in nobis dicente Apoſtolo qui dat ſemen ſeminanti & ,, panem ad manducandum præſtabit & creſcere faciet fructus juſtitiæ ,, veſtræ." Sed cum à catholica hac aſſertione deficeret ſenſim contendens tandem initium bonæ voluntatis ac fidei eſſe à nobis tum demum inſurgit Proſper, *per inſcrutabilem* inquit *diverſitatem introducitur definitio , quâ docetur multos ad gratiam venire ſine gratia , & hunc effectum petendi , quærendi atq; pulſandi habere quoſdam de vigilantia libera voluntatis.* Poſt quæ arguens hanc mentis in pejus mutationem *Doctor* *Catholicè* inquit *cur profeſſionem tuam deſeris? Cur ad famoſam falſitatis caliginem relictâ ſereniſſima veritatis luce devolveris? Vides bonos conatus , pia ſtudia , & dubitas eſſe Dei dona ? Latuerit opus gratiæ , donec fides inſita cogitationis claudebatur arcano* &c. Viden ut Proſper , acerrimus Caſſiani inſectator , Caſſianum Catholici Doctoris nomine dignetur , *Catholiciſſimam* proferentem *definitionem* , ubi initium fidei & bonæ voluntatis à Deo eſſe profeſſus eſt ? Viden ut contrarium dogma velut totius diſſidii fontem exagitet ? Hæc & plura legere per te apud Auguſtinum & Proſperum potuiſſes , teque ipſe ſic inducere, ut Pontificiis Decretis auſcultares , verum non legiſti fortè Auguſtinum & Proſperum , niſi in Janſenio. Nec enim credibile eſt Auguſtini mentem , tibi adeo perſpicaci , potuiſſe hac in re videri dubiam. Adi Auguſtinum , adi Proſperum Vir Eximie , utrumque audi , præbe te docilem , & audies mox Eccleſiam , ac R. R. Pontifices , & præjudicatæ temerè opinioni , nuntium remittes.

Præter Hilarium , Proſperum & Auguſtinum audi , ſi grave non eſt Concilium Arauſicanum ſecundum, à quo damnata Semipelagiana dogmata ad hoc unum revocantur , quod eorum defenſores initium fidei ad ſolas naturæ vires referrent. Canone 4. declarat eum qui, " ut ,, à peccato purgemur voluntates noſtras Deum expectare contendit : ,, non autem , ut etiam purgari velimus , per Sancti Spiritus infuſio- ,, nem , & operationem in nobis fieri confitetur , reſiſtere Spiritui ,, Sancto per Salomonem dicenti , voluntas præparatur à Domino: & ,, Apoſtolo ſalubriter prædicanti : Deus eſt qui operatur in nobis vel- ,, le , & perficere pro bona voluntate. Et Canone 5. definitur Apo- ,, ſtolicis dogmatibus adverſari,qui ſicut augmentum,ita etiam initium ,, fidei ipſumque credulitatis affectum , non per gratiæ donum , ſed ,, nobis naturaliter ineſſe dicit:& Canone 7. illum hæretico falli ſpiri-

tu ,

Digitized by Google

„ tu, qui per naturæ vigorem, bonum aliquod, quod ad ſalutem „ pertinet vitæ æternæ, cogitare, ut expedit, aut eligere, ſive ſalu„ tari, id eſt evangelicæ prædicationi conſentire poſſe confirmat abſq; „ illuminatione & inſpiratione Spiritus ſancti. " Hi canones Semi-pelagianos errores convellunt, adeoque evincunt, capitale & univerſale illorum dogma ſitum fuiſſe in negata gratiæ interioris neceſſitate ad initium fidei: unde omnia comprehendit Tridentinum dum ſeſſ 6. caput 5. brevibus his verbis: *declarat ipſius juſtificationis exordium in adultis à Dei per Chriſtum* JESUM *præveniente gratia ſumendum eſse.*

Contra hæc tam multiplicia & evidentia teſtimonia ultimum effugium tuum in eo ponis, quod nonnullos habeas hujus tui temerarii pronuntiati ſocios, quos in medium hic adducis. *Id ſanè mecum cenſuere* inquis *PP. Salmanticenſes, Contenſonius, Gonetus, Franciſcus Macedo, eorum que approbatores* tum non ſine aliquo faſtu me compellans: *An & de his omnibus* interrogas *& ſingulis, quid de me forſitan tu dixeris: videlicet quod reverentiam erga conſtitutiones S. S. Pontificum, quam premittunt non præſtent? Haud puto.* Miror quod haud putes, cum ad illud jam alias reſponſum ſit clariſſimè ſine ullis ambagibus ubi in Theſibus contra te editis adduxi locum Natalis Alexandri Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ ad ſæculum V. quo perſtringit graviter & *Franciſcum Macedo & Gonetum & alios* (verba ejus ſunt) *qui nullâ habitâ ratione Propoſitionis quartæ in conſtitutione Innocentij X. damnata, temerè aſſerunt Semi-pelagianos gratiam aliquam internam ad initium fidei admiſiſſe.* Ejus verbis mentem meam tunc expreſſi & iterum exprimo quia contra hunc auctorem, in hac controverſia excipere nihil potes, utpote, qui non tutandæ propriæ ſententiæ ſtudio (cum prædeterminantem phyſicè gratiam ipſe ſtatuat) ſed poſt exactam diſcuſſionem, ut vaſtæ ſcientiæ ſcriptor eſt, veritatis evidentia convictus, ita aſſerat.

CAPUT II.

Expenduntur ſcopi varii, quos ſibi præfixit Eximius, & oſtenditur illos vel non attigiſſe vel attigiſſe infeliciter.

Præter hæc in ultimis theſibus meis tria objectaveram tibi 1. Quod à ſcopo totius controverſiæ aberraſſes. 2. Quod invidioſa quædam collegiſſes, futurus quaſi unguis in ulcere ad conflanda Jeſuitas inter

&

& Thomiſtas diſſidia. 3. Quod argumenta præcipua ex quibus controverſiæ cardo pendebat, diſſimulaſſes: hæc per varios paragraphos conaris diluere, ad quos habe hæc pauca.

§. I.

Primus Eximii ſcopus, quem non attigit.

„ SCopus ille *inquis* §. 6. multiplex eſt, & primus quidem, me, „ alioſque Doctores Orthodoxos eximere à nota ſeu ſuſpicione „ damnatorum ab Innocentio X. & Alex: VII. dogmatum in materia „ de gratia & libero arbitrio. *Huc triplici niteris via:* primo *ais* oſten„ dendo, quod nihil doceas circà articulos ab Innoc: X. & Alex. VII. „ proſcriptos, quod in Scholis Orthodoxis Lovanienſi V. G. & Tho„ miſtica Orthodoxè non doceatur.

Reſpondeo non liberas te ſuſpicione Janſeniſmi, quamdiu non damnas propoſitiones in ſenſu Janſenii: Non enim ſufficit explicare quid doceas cum quibuſdam Catholicis (quod faciebat etiam Pelagius) ſed quid non doceas cum Ianſenio. Id hactenus, ut par erat non præſtitiſti, imo ne tentaſti quidem: ergo ad ſcopum non tendis, quem tibi præfixiſti.

Imo pergis: nam aſſevero 2. *Me non fucatè, ſed omni ſinceritate in prædictis articulis reiicere, quidquid in illis Schola Catholica V. G. Thomiſtica reiiciunt.*

Reſpondeo: reiicis Eximie Domine quidquid reiiciunt Thomiſtæ? Non poſſum, quin tibi gratuler. Ain enimverò, nuntium remittis palam, apertè, diſertis verbis ſenſui Janſeniano? Tandem Vir es. Quis enim Thomiſta id palam, apertè, diſertis verbis non facit? Vel hic tibi non conſtas, vel aliud ſentis, aliud loqueris, quod eſt contra bonam fidem, vel certè plena mihi tecum hodie erit concordia. Obſecro ſpeciatim id præſta, quod modo in genere elocutus es: ſed ad exceptionem tuam mavis adhæreſcere. Reiicis totum id, quod Thomiſtæ reiiciunt præſcindendo à ſenſu Janſenii. Capio quid velis. Sed an ſatis te ſecurum, & probatum exiſtimas, ſi ubique Thomiſtarum nomine & auctoritate ac fide abuſus imperitis illudas? Subdolo hoc artificio Maximini Arianorum Epiſcopi morem imitari videris, qui preſſus ab Auguſtino ut ſuæ fidei profeſſionem faceret, adigi vix potuit, ut præter Ariminenſis Concilii genericam quaſi fidem profiteretur. Ita refertur in collatione Auguſtini cum Maximino tomo 8. operum novæ editio-

Digitized by Google

nis his verbis: *Auguſtinus dixit: ut cito agamus quod inſtat, dic mihi fidem tuam de Patre & Filio & Spiritu Sancto*, liceat mihi dicere vel ſi mavis poſtulare: *ut cito agamus quod inſtat dic mihi fidem tuam* de conſtitutionibus Pontificum in quantum Janſenii doctrinam in ſenſu auctoris condemnant. *Maximinus reſpondit: ſi fidem meam poſtulas, ego illam teneo fidem, quæ Arimini à trecentis & triginta Epiſcopis, non ſolum expoſita, ſed etiam ſubſcriptionibus firmata eſt.* Eximius reſpondet: Ego illud teneo & reiicio quod tenent & reiiciunt Thomiſtæ. *Auguſtinus dixit: jam dixi & hoc ipſum repeto, quia reſpondere noluiſti: Dic fidem tuam de Patre & Filio, & Spiritu Sancto.* Liceat mihi dicere quid diverticula quæris recurrendo ad Thomiſtas, dic fidem tuam de ſenſu Janſenii. *Maximinus reſpondit: cum enim non defecerim à reſponſione, cur accuſor à tua religione, quaſi reſponſum non dederim?* Eximius reſpondet, an non abundè ad quæſitum reſpondeo & Catholicum me exhibeo, dum profiteor me eadem tenere & reiicere, quæ Thomiſtæ tenent, & reiiciunt? " Auguſtinus dixit: propterea dixi te reſ-
„ pondere noluiſſe, quia dum ego quærerem, ut diceres mihi fidem
„ tuam de Patre & Filio & Spiritu S. quod & nunc poſco, tu mihi
„ non dixiſti fidem tuam, ſed nominaſti Ariminenſe Concilium. Fi-
„ dem tuam volo noſſe, quid credas, quid ſentias de Patre & Filio
„ & Spiritu Sancto. Si dignaris ore tuo audiam. Noli me mittere ad
„ ea ſcripta, quæ modo aut præ manu non ſunt, aut eorum auctori-
„ tate non teneor. Dic quid credas de Patre & Filio & Spiritu Sancto".
Liceat mihi dicere: nominas quidem Thomiſtarum fidem ac doctrinam (quamquam neque hanc expleas) fidem tuam volo noſſe, quid credas, quid ſentias de damnatis Janſenii propoſitionibus in ſenſu auctoris. Si dignaris ore tuo audiam. Noli me mittere ad Thomiſtas, quorum auctoritate non teneor, neque enim Thomiſtæ regula fidei ſunt, aut irrefragabiles controverſiarum judices. Ad ſuam inſtantiam diſtinctius tandem aliquod reſponſum retulit Auguſtinus: ego vero nihil. Ne indigneris Vir Eximie, ſi palam cogitationes meas eloquar. Imitari videris germanos illos ruſticos homines, qui quoties de ſua Religione interrogantur, Principis ſui ac Domini nomen ac fidem credere ſe proteſtantur: Quidquid egeris, reſponſum ulterius ex eorum ore non extorquebis quam, teneo ac reiicio, quidquid Princeps aut Dominus meus tenet ac reiicit. Sic tu, quoties à te fidei tuæ ratio poſcitur, quoties urgeris, ut te, tuamque doctrinam à Janſeniana juſto aliquo diſcrimine ſejungas, nihil aliud, quam Thomiſtarum nomen ac fidem imploras. Teneo clamas quidquid Thomiſtæ tenent, reiicio

quidquid Thomiſtæ reiiciunt. Hic tibi metam figis, à qua tamen longè manes remotiſſimus, quantum ad hæreticum Janſenii ſenſum. Toleranda ſit in ruſticis hominibus illa ſimplicitas, aut inſcitia, certè in Eximio Doctore & Lovanienſi, & Batavo pugile, non videtur tolerari poſſe. Quaſi per te ipſe ſtare non poſſis, aut aſſurgere, niſi velut hedera centum claviculis, ſic tu te totidem phraſibus trunco cuidam, aut arbori Thomiſticæ affigas, alias humi repturus. Animadvertis Eximie hanc profeſſionem ad ſcopum tuum nihil conducere?

Tertium conatum videamus num præcedentibus futurus ſit felicior: *ſupereſt tertium*, ſcribis, *quod obtinendo propoſito mihi ſcopo judicavi accommodum, hoc videlicet, ut oſtenderem, debitam me præſtare, & huc uſque præſtitiſſe conſtitutionibus Innoc. X. & Alex: VII. obſervantiam. Hunc in finem (ut reliqua prætercam) declaravi eandem me iiſdem deferre reverentiam, quam iiſdem detulêre Epiſcopi quatuor de quibus ſupra.*

Reſpondeo: Præclarum ſcilicet obſervantiæ ſpecimen quod ſupra exhibui, & nemo, ne juratiſſimus quidem Janſeniſta, neq; Arnaldus ipſe detrectat, ſed quid ſibi vult illud *ut reliqua prætercam*? Sanè nihil ego *reliqui* invenio, quo plus præſtas, quam hic præſtare te dicis, & fœderati tui *Proteſtantes* (*Supplicantes* volui ſcribere ſemper hic erro) hactenus præſtant. Quæ quæſo *reliqua* præteris? Enumera illa, ſi ſapis, enucleatius, neque verearis Lectoris faſtidium, cui crambem toties recoctam ingerendo, moves nauſeam. Non movebis, ſi varia longo ordine exhibeas reverentiæ tuæ erga Conſtitutiones Apoſtolicas ſpecimina. Aliquid in hoc genere apportabis novi, quodque boni omnes percipere geſtiant. Vides, ut exiſtimo, Eximie Domine, nam me tacente res ipſa loquitur, quod hactenus nihil profeceris ad ſcopum, quem primo loco tibi propoſueras, forte meliorem in cæteris ſucceſſum tibi polliceris. Videamus, qua ratione eo nitaris.

§. II.

Scopus alter à quo Eximius aberravit.

HUnc nobis exhibes Epiſtolæ tuæ §. 7. his verbis: *ſcopus ſecundus diſſertationis eſt, oſtendere, quod nulla veri ſpecie afferri queat, doctrina de gratia per ſe efficaci, per conſtitutiones Innocen. X. & Alex: VII. quidpiam fuiſſe detractum* Hoc te aſſecutum triplici iterum ratione pugnas 1. *Oſtendendo quod ipſimet Summi Pontifices præfati, declararint poſt condemnationem famoſorum articulorum nullatenus ſe per ſuas reſpectivè conſtitutiones damnaſſe gratiam per ſe efficacem.* Reſ-

Reſpondeo diſtinguendo, quod aſſumis: Pontifices, ſi qui id declararunt, declararunt id de quavis gratia per ſe efficaci, etiam illa, quæ non diſtinguitur à Janſeniana: nego. Declararunt id de gratia aliqua per ſe efficaci, ſi quæ ſit, quæ diverſa eſt à Janſeniana, tranſeat. Atque hinc ſic aſſumo: atqui argumento nullo ſolido viciſti unquam, imò ne conatus es oſtendere hactenus, gratiam per ſe efficacem à te aſſertam eſſe aliam, à gratia per ſe efficace Janſeniana: per viam igitur hanc nec perveniſti hactenus neque pervenies ad ſcopum ſecundum.

Ratio ſecunda eſt inquis, quod doctrinam meam ſub illis exhibuerim terminis, ut *pateret ad oculum nihil doctrina mea cum propoſitionibus damnatis eſſe commune.*

Reſpondeo: doctrinam illam tuam ſub illa variarum phraſium veſte, nec Janſenius, ſi viveret improbaret, etiamſi nullum à Sede Apoſtolica doctrina ejus vulnus accepiſſet, & gratiam illam tuam, quamvis ſub peregrino habitu velut fœtum ſuum germanum amplecteretur. Quod ipſe tu Vir Eximie ſatis perſpexiſti, dum tua adeo nihil intereſſe proclamas, quibus utatur loquendi modis Janſenius, dum nempe rem ejus ipſam tu habeas, de equo, non de phaleris ſollicitus, pluris ſponſam, quam veſtes ejus facis. Id ni foret, quemadmodum veſtes abiicis ſic & ſponſæ mitteres libellum repudii, & initam cum batava iſta amaſia Societatem, non tam diſſueres, quam repentè præcideres atque abrumperes, & ſic ſcopum primarium, quem præfigere tibi debueras unicum, feliciter attingeres, ad quem hactenus allata,te minimè promovent.

Tertia tua ratio ut ſcribis *hæc fuit, quod veriſimile nequaquam ſit; plurimas tum Cleri, tum regularium Ordinum ſive Academias, ſive Scholas, dogma de gratia per ſe efficaci eſſe amplexuras, ſi vel per ſuſpicionem ſubodorarentur,conſtitutiones ſæpe memoratas dogmati iſti adverſar i.*

Reſpondeo:vel Academiæ iſtæ & familiæ Religioſæ, gratiæ per ſe efficacis propugnatrices de quibus loqueris, diſcrimen aliquod juſtum & verum inter ſuam, & Janſenii doctrinam eſſe judicant & agnoſcunt, vel non: ſi judicant & agnoſcunt, atque adeo Janſenii errores ejurare neque formidant neque detrectant, quid illæ te juvant, eoſdem ejurare formidantem, & pervicaciſſimè detrectantem? Si non judicent, neque agnoſcant, & propterea, more tuo tergiverſentur, ac detrectent anathema dicere Janſenio, in eodem luto hærent, in quo merſus tu es, adeoque non habes ab illis unde te purges, atque ita quam nullius ponderis ſit hæc tua ratio, nemo non videt, & tamen tantum tibi in ea places, ut mihi comiter exprobres, quod eam *piſce muti-*

mutior tranſiverim idque non ſemel iteras, tam falſa tibi videtur, & arguta hæc expoſtulatio. Ita eſt Ex. Domine, ſic tranſire ſoleo, quoties occurrit frivolum quiddam, ac reſponſione indignum: toties ſum piſce mutior. Hic meus eſt mos. Hoc me ſilentium Auguſtinus docuit, ſimul dolum & artificium detegens, quo malarum cauſarum Patroni, ſolent multa ad rem non pertinentia ſuis ſcriptis inſerere *ſi ad iſta omnia reſpondere voluero*, inquit in collatione cum Maximino ſuprà relata, *id etiam ego agere videbor, ne veniatur ad cauſam*. Exiſtimaſne adeo fungum eſſe me, ut non intelligam, quo conſilio, tam multa parerga & hiſtoriunculas diſputatiunculis tuis interſeras, ad quæ plures è noſtris reſponderunt ad ſatietatem? Quo vergant tot ſcopi, veluti totidem diſſolutæ ſcopæ? Ut nempe me à vero & germano ſcopo avoces, & in ludicris ſpectaculis detineas. Si vis ut loquar, affer aliquid te, & tuâ causâ dignum. Falleris, ſi alias quidquam reſponſi præſtolaris. Ingenuè profiteor ad illa frivola ſemper ero mutus ut piſcis, interim rem agam, neque te dimittam, niſi ſic dimiſeris Janſenium, ut dimittendum ſtatuunt Romani Pontifices & Eccleſia univerſa Pontificum decretis conſentiens, præſcribit.

§. III.

Scopus tertius, quem Eximius tetigit, ſed ſine fructu.

Tertius ſcopus his verbis expreſſus eſt: *non defuiſſe, tum apud Acatholicos, tum apud Catholicos, qui ex conſtitutionibus illis intulerint doctrinam de gratia per ſe efficaci ab Eccleſia Romana damnatam eſſe.*

Reſpondeo quidquid hic contendis Vir Eximie ultrò largior: unde non eſt quod probando te fatiges. Accipe, quod do, & ſi potes concludе: Non defuerunt, nec è Catholicis, neque ex iis, qui ſe ab Eccleſiæ gremio ſejunxerunt, qui concluſerint ex Pontificiis conſtitutionibus, doctrinam de gratia per ſe efficaci eſſe proſcriptam: Eſto Non defuerint: Ergo Eximius Martinus de Swaen Janſeniſta non eſt, nec ullo ſuo merito de hæreſi ſuſpectus; qui præcipuus ſcopus eſt, quo collimare omnia debeant, quæ ad propoſitum faciunt. Placetne concluſio Magiſter Eximie? Placet enimverò: ſed quærendum mihi erat, eſtne legitima? An ullo pacto fluit ex iis, quæ largitus ſum? Nihil minus: Certè illud ipſum quorumdam Catholicorum & Heterodoxorum concors judicium, cauſæ tuæ magis obeſt, quam prodeſt:

deſt : Nam vel prudens, fundatum, & verum eſt hoc judicium, vel falſum : ſi verum, & illud agnoſcas, errorem tuum prodis, nec, quod peſſimum eſt, hactenus deteſtaris : ſi falſum eſt, effice id quæſo quamprimum argumento quodam ſolido, & unà declara te gratiam per ſe efficacem à Janſeniana diverſam ſtatuere, tum demum rem effeceris Viro dignam, neque chartæ facies & temporis diſpendium, ne addam nominis, ut feciſti hactenus. Sed vereor, ut ad conatum adeò laudabilem aſſurgere tibi animus ſit : Quà enim ratione poſſes à Janſenio tuo avelli ? Nihil tu ipſe magis amare videris, quam iſtam affinitatem, ſi non judicio tuo identitatem, inter Ianſenianam gratiam, & eam quam Thomiſticam ad declinandam invidiam, nunc quidem appellare mavis, ita plus ſatis tua prodit tergiverſatio. Plures ſunt è maximè devotis Ianſenio, qui ex quo tempore didicerunt non ita ex voto rem ſuam Romæ agi, hanc nobis cantilenam occinere cœperunt : paratos ſe, & in formulam Alexandri jurare, & ejurare quidvis, modo detur, & liceat ſibi ſecuris, gratiam per ſe efficacem defendere. Quo pacto ita volunt ? Niſi, quia ſentiunt, ſalvum ſibi manere ſuum Ianſenium, quamdiu ſalva maneat gratia per ſe infallibiliter efficax ? Mihi quidem hic eorum ſenſus diſplicet, ſed an tibi non probatur Vir Eximie ? Sin minus probatur, agnoſce amabo, & palam doce inter gratiam, quam Thomiſticè per ſe efficacem vocas & ais te profiteri, & illam, quam Ianſenius aſſeruit, verum quoddam diſcrimen intercedere. Quamdiu huc non eniteris, vides opinor, quomodo ex illo tuo ſcopo, quem attigiſti, & quà ratione ſcopos ſexcentos alios, negotio non majori poſſes attingere, immiſſa ſagitta in te reſiliat, & plagam tuam non ſanet, ſed exaſperet.

§. IV.

Scopus quartus, quem Eximius non tetigit.

IS erat ſcribis §. 9. oſtendere *quid mali natum ſit in Eccleſiam derivari ex illorum ſententia, qui ex conſtitutionibus Pontificiis inferunt dogma gratiæ per ſe efficacis damnatum eſſe.* Mala autem illa deinde ſex enumeras : ſingulis aliquod remedium lubens præſcribam, quamquam & hic ſcopus, quemadmodum proximè ſuperior, ſpectet ad ſcopas diſſolutas.

PRI-

PRIMUM MALUM.

Eſt diminutio Auctoritatis SS. Auguſtini & Thomæ.

RESpondeo, timor hic eſt panicus Eximie Domine: vel enim metuis, ne vileſcat utriuſque Sancti Doctoris auctoritas apud Catholicos, vel apud Heterodoxos, vel apud utroſque ſimul: apud nullos autem eorum periculum eſt vel minimum, quod ſic evinco: Agamus primo de Catholicis, de illis enim æquum eſt, ut magis ſolliciti ſimus. Catholici iſti omnes, qui proſcriptam eſſe exiſtimant doctrinam de gratia per ſe efficaci, ſimul exiſtimant, & tuentur mordicus doctrinam iſtam neque Sancto Thomæ uſpiam neque Auguſtino placuiſſe, quare nullum periculum eſt, ne apud eoſdem Doctorum iſtorum, quos à ſe ſtare credunt, vileſcat auctoritas. Iam videamus de hæreticis: Nihil illi tribuunt Pontificum conſtitutionibus quibus non obſtantibus clamabunt Auguſtinum totum eſſe ſuum, ut clamabat Lutherus: fidei profeſſionem ex ejus avulſis & malè inter ſe commiſſis laciniis contexent, ut contexere ſe poſſe gloriabatur Calvinus, ſibi indent cognomen Auguſtini, ut ſibi indidit Wicleffus: uno ore clamabunt, ſe eſſe Thomiſtas, ut in libro adverſus Scultetum clamat Petrus Jurius & hoc ſemper habebunt magnificum & ingens, ut Pontificum Sanctionibus opponere poſſint magna Auguſtini & Thomæ Nomina: undè ergo vileſcet aut periculum ullum ſubibit Sanctiſſimorum iſtorum Doctorum exiſtimatio? Patet itaque quod dicebam, timorem hunc planè eſſe panicum. Quod ſi jacturam aliquam nominis aut autoritatis pati poſſent Auguſtinus & Thomas, certè non aliundè eam paterentur, quam quod in damnatorum dogmatum patrocinium maleferiata quædam ingenia utrumque reluctantem trahant, & in hunc finem interdum ita extollant immodicè, ut cum Pontificiis Decretis non tantum committant, ſed ipſis æquare videantur Scriptoribus Hagiographis dum non tam Auguſtinum & Thomam, quam ſua ſomnia venerantur, quæ ſub eorum umbra ſecurè depereant. Hos inſectare, his iraſcere, Ianſenium tuum exagita, invade Arnaldum, non eos, qui Thomam & Auguſtinum Eccleſiæ Romanæ, Innocentio X. & Alexandro VII., ut eadem ſentientes, vindicant, ſed non auſiis pugil Batave, qui ſi animi tui ſenſa, quæ nunc ſilentio aliquouſque prodis, apertè exponeres, ipſe fatereris ac contenderes, Auguſtinum & Thomam, Ianſenio patrocinari in dam-

natis ſuis articulis, in quo ſi fallor, falſitatis me redargue, quod non facies, niſi pertinaciam ponas. Ex hoc oritur quod metuis.

SECUNDUM MALUM.

Eſtque Confirmatio Acatholicorum calumniantium, Eccleſiam Romanam damnaſſe doctrinam S. Auguſtini & quod pejus eſt S. Pauli.

Reſpondeo: hæc credo te, tuoſque religio tenet, quo minus judicium ſubmittatis conſtitutionibus Pontificum, quâ parte ſenſum Janſenii damnant: nam ut teſtis eſt è tuis aliquis Auctor libelli, cui titulus: *Reflexion de Religion & d'etat ſur le Formulaire* &c. pag. 8. & 9. *ſi ſolenniter profiteamur cum juramento ſenſum hæreticum, in quo V. Propoſitiones damnatæ ſunt, eſſe ſenſum Ianſenii, agnoſcendum erit doctrinam S. Pauli, & S. Auguſtini, in materia de prædeſtinatione & gratia hæreticam eſſe.* Pergit ad finem paginæ 9. *Apparet ex lectione Ianſenii, ejus doctrinam non eſſe aliam, niſi illam, quam S. Auguſtinus ſuſtinuit contra Pelagianos: atque ea unica ratio eſt quare Religionis Zelatores* (nonne & tu ex illis es Doctor Eximie?) Quare inquam Religionis Janſenianæ Zelatores *tanta cum firmitate recuſent agnoſcere V. Propoſitiones in ſenſu damnato eſſe Ianſenii:* neque hoc unius tantum de communi Janſeniano grege judicium eſt: lectionem eam jam pridem veteranus factionis Magiſter Arnaldus præſcripſit in apologia Janſenii in præfatione ita docens: *Doctrina Iprenſis Antiſtitis, non eſt alia, quam S. Auguſtini.* imo quod ibidem ſubdit: *non poteſt ſine voluntaria, & portentoſa pertinacia negari, propoſitiones Baii, quæ reperiuntur in Ianſenio, eſſe puncta capitalia doctrinæ S. Auguſtini:* & iterum: *Auguſtini doctrina per Iprenſem Antiſtitem potentiſſimè ſtabilita eſt.* Denique *Ianſenius clariſſimè & ſolidiſſimè explicuit cæleſtem S. Auguſtini doctrinam ſuper materia de gratia.* Et erit poſt hæc aliquis, qui citra immanem calumniam in Romanam Eccleſiam, aſſerere poſſit, per conſtitutiones Pontificias proſcriptam eſſe Janſenii doctrinam, quæ, ut idem Arnaldus ibidem ſcribit, *non eſt alia quam S. Auguſtini?* Quid hoc aliud eſſet, quam confirmare Acatholicos, dum doctrinam Janſenii (quam nil niſi Paulum & Auguſtinum ſpirare dicunt) exprobrant à Pontificibus eſſe damnatam? Quid inquam hoc aliud eſſet, quam Paulum & Auguſtinum cum Pontificibus committere? nam,

ut

Digitized by Google

ut iterum Arnaldus repetit : *Ianſenii propoſitiones damnari non poſſent tamquam hæreticæ, aut tamquam erroneæ, niſi Sacra Sedes & tota Eccleſia de approbatis erroribus, & hæreſibus accuſentur.* Huc metus tuus proſpicit Vir Eximie, ne, ſi oſtendatur, doctrinam tuam de gratia per ſe efficaci, quam non audes aſſerere diverſam eſſe, & hoc ſilentio ſatis prodis eſſe eandem cum doctrina Janſenii, ſi inquam oſtendatur illam Pontificiis deciſionibus eſſe contrariam, contendant inde Calviniſtæ, quibuſcum agnoſcis in hoc puncto plenam tibi eſſe concordiam, Pontifices hanc doctrinam in Janſenio proſcribentes, oppoſuiſſe ſe Pauli & Auguſtini placitis, atque ita quo hunc ſcopum magis promoves hoc altius Janſeniano luto te immergis. Malo huic remedium præſcribet reſponſio ſequens.

TERTIUM MALUM.

Eſt obſtaculum converſionis prætensè Reformatorum.

Reſpondeo : ſtudium & zelum tuum probo Vir Eximie, modo ſit ſecundum ſcientiam. Rectè facis, cum de tollendis obicibus, qui fratres noſtros devios remorantur, tam ſollicitè cogitas. Verum malos medicos imitari videris, qui ægris indulgendum exiſtimant, quidquid appetunt; ſubducendum, quidquid averſantur. Putaſne tam mirificè te levem eſſe & miſericordem, cum tam multum judicas hæreticis eſſe tribuendum ? Ego crederem crudelem eſſe me, ſi eſſem ſic miſericors. Si hæc te agit miſericordia, cur non das hæreticis, quod ipſi ſe ex Paulo & Auguſtino invictè conficere plenis buccis gloriantur, nulla eſſe hominis in hoc ſtatu æternæ vitæ merita ? Ita ex Ianſenii, & Arnaldi tui, tuiſque principiis manifeſtè ſe colligere jactat laudatus à te Iurius, in colligendo hic minimè infelix. Cur id non indulges, & illo indulto, cur non ſis æque liberalis in cæteris, pro quibus nomen & Pauli & Auguſtini uſurpant ? Ita multiplex fiet ad vos Calviniſtarum acceſſio, aut vos verius ibitis magnis paſſibus ad ipſos. Permitte interim, ut medici longe peritioris, & ab Eccleſia approbati ego inſtructiones ſequar. Is eſt S. Ignatius, ne exhorreſce, Vir eſt mitiſſimus, & ſummo ardens hæreticorum amore, licet hæreſes oderit odio vaticano, & ſimile ſemper odium filiis ſuis inſpiraverit. Is in aureo ſuo de exercitiis ſpiritualibus libello quoad omnia à Paulo III. approbato hanc inter cæteras regulas *ut cum orthodoxa Eccleſia verè ſentiamus* decimam ſeptimam tradit his verbis. *Neque itidem*

Digitized by Google

dem prædicandæ , & inculcandæ gratiæ Dei uſque adeo inſiſtendum , ut ſerpere inde poſſit auditorum animis lethalis error , negatâ liberi arbitrii noſtri facultate. De gratia ergo ipſa diffusè quidem loqui fas eſt , Deo aſpirante , ſed quatenus in gloriam ejus uberiorem redundat , idque juxta modum convenientem , noſtris præſertim temporibus : ne & liberi arbitrii uſus , & operum bonorum efficacia tollatur. in iiſdem regulis multa ſaluberrima contra lapſos in fide præſcribit remedia , & inter cætera quædam tuo morbo curando peridonea, quale illud eſt quod Regulâ primâ præcipit: *ſublato,* inquit, *proprio omni judicio tenendus eſt ſemper paratus promptusque animus , ad obediendum veræ Chriſti ſponſæ , ac Sanctæ Matri noſtræ :* & decimâ tertiâ tamquam ſummè neceſſarium injungit , *ut ipſi Eccleſiæ Catholicæ omnino unanimes , conformeſque ſimus* (audi quouſque) *ſi quid , quod oculis noſtris apparet album , nigrum illa eſſe definierit , debemus itidem , quod nigrum ſit pronuntiare ,* immane quantum ab hac obedientiæ cæcitate hactenus diſtas Eximie , & tamen ea neceſſaria eſt , *ut cum orthodoxa Eccleſia verè ſentiamus.* Attende quæſo rationem quæ ad cæcam hanc obedientiam , Eccleſiæ filium movere debeat & his verbis ſubnectitur: *indubitatè namque credendum eſt eundem eſſe Domini noſtri IESV Chriſti , & Eccleſiæ orthodoxæ , ſponſæ ejus ſpiritum , per quem gubernamur , ac dirigimur ad ſalutem.* Et huic ſpiritui tu auſcultare detrectas & ſolenniter definienti fidem habere renuis: ſed de eo actum eſt ſupra , illud unum modò voveo, ut hæ regulæ medicina tibi ſint ad ſalutem. Nunc ad propoſitum redeo. Miror & doleo Vir Eximie , id à te recenſeri inter obices , & obſtacula , quo nihil orthodoxis ſcriptoribus viſum eſt aptius ad applanandam viam. Eſtne obicem ponere fratribus , ad Matris ſuæ Eccleſiæ Romanæ gremium reverſuris, manifeſtè illis ob oculos ponere fœdos Lutheri & Calvini lapſus in materia de gratia & libero arbitrio, in qua Paulum & Auguſtinum ſuos eſſe falsò gloriantur? Ego hactenus exiſtimavi , & etiamnum exiſtimo , id eſſe obicem tollere. Eſtne obicem ponere Ianſenium , quem , ut Calvini ſui ſinceriſſimum interpretem venerantur ac ſuſpiciunt , cujus lectione in ſuis ſe placitis confirmari palam aſſerunt , ſolidiſſimis rationibus impugnare , & pluries in ipſam veritatem impegiſſe , luculenter oſtendere ? Eſtne obicem ponere , ſententias commentis Ianſenianis affines ablegare , tamquam non diſſimili aſperſas fuligine ? Quid quæſo magis , aut æque errabundos illos , poteſt ad nos pellicere , quam ſi vicerimus illos in errore manifeſto verſari ? Et tu adhuc quereris obicem à nobis Heterodoxis poni , quo minus redeant ad matrem , dum ſententiam de

gratia per ſe efficaci tuo ſenſu intellectam, quam non auſis agnoſcere eſſe aliam, quam, quæ à Ianſenio aſſerta fuit, impugnamus eo modo, qui illius errori directè oppoſitus eſt? Audi quid de hoc negotio cenſeant Academiæ nobiliſſimæ Moguntina & Herbipolitana, de reducendis hæreticis, quibus circumceſſæ erant, maxime ſollicitæ, quæq; reducendi artem longo uſu dididerant. In litteris ad Clementem VIII Herbipolitana ſic pronuntiat *Beatiſſime Pater, Pontifex maxime, inaudivimus in hac Academia noſtra Herbipolenſi inter nonnullos Theologos Catholicos, non ita pridem excitatam de divina gratia vi, & efficacia controverſiam modo in Vrbe tractari, valdè dolemus è dono gratiæ alias homini ad pacem dato, controverſiam moveri; veremur etiam ex hac parva ſcintilla, magnam in Eccleſia flammam, quam Deus clementer avertere dignetur, oriri poſſe; utinam & ſectarii in Germania, quando ad eos fama deferetur, aliquot è Catholicis Theologis opinari, per divinam gratiam ſic hominis prædeterminari voluntatem, ut nequeat cum ejuſmodi motione adjungi diſſenſus, non magis confirmentur in ſua ſemel erroris ſententia concepta de libertate nobis per cæleſtis gratiæ potentiam erepta* &c. Moguntina vero Bellarminum & Stapletonum impensè laudat, quod viam illam inſtiterint in revincendis Calviniſtis, quam ego probo maximè, tuque improbas. *Conſtat*, ſcribit ad eundem Pontificem, *Doctiſſimos quoſdam Theologos, nominatim Illuſtriſſimum Cardinalem Bellarminum, & Thomam Stapletonum, ſententiâ illâ, quam Molina ſequitur, nixos, Calvinianorum dogmata hactenus evertiſſe, & Concilii Tridentini ſanctiones, defendiſſe, quo præſidio ſi deſtituti fuerint, tum ingens apud Catholicos orietur ſcandalum; tum cauſa præbebitur Calviniſtis quaſi de parta contra nos Victoria triumphandi* &c. Liceat his domeſticum adjungere teſtimonium Doctiſſimi Suarezii qui illam expugnandi, & convertendi hæreticos methodum, tamquam aptiſſimum inſtrumentum, inſpiratam S. Ignatio exiſtimat & ab eo dimanaſſe in univerſam Societatem, quam ſpeciali modo elegit Deus, ad devios à fide, in viam ſalutis revocandos, ita ſcribit tom. 4. de religione lib. 9. cap. 5. *Occaſionem* ſumo *advertendi zelum, quem nunc habet Societas, rectè explicandi concordiam gratiæ cum libero arbitrio, & convenienter loquendi & accommodatè ad reſiſtendum Luthero, aliiſq; hujus temporis hæreticis, eundem fuiſſe in Patre noſtro Ignatio, & vel ab illo in Societatem manaſſe, vel eundem ſpiritum, qui hanc religionem movet ad reſiſtendum hæreticis, hujus eſſe doctrinæ auctorem.* Ita illi ſenſerunt, quorum prudenti judicio plus defero, quam inani tuo timori. Vis ex me intelligere, qui potiſſimum hæreticorum ad veram fidem

con-

converſionem impediant? Loquamur quod res eſt: illi ponunt obicem (ne dicam, tu ponis) qui Calvini in hac parte probant dogmata, qui triumphi materiam probent, ex qua de nobilium, nec paucorum ad ſe papiſtarum acceſſione verè glorientur: cur enim, inquiunt, Samuele Mareſio Duce in Apologia pro Janſeniſtis contra Romanum Pontificem & Jeſuitas, cur non rectè ſentiamus in cæteris, quæ Papiſtæ oppugnant, qui rectè ſenſiſſe nos hactenus in uno ex capitaliſſimis dogmate, fatentes habemus ipſos Papiſtas, quos antea inimicos ſenſeramus: pergant modo Auguſtinum volvere eâ, quâ cæperunt diligentiâ, mox nobiſcum conſpirabunt in iis quæ de Cæna Dominica conſtanter credimus, neque major difficultas erit de cæteris. Hæc illorum non inanis gloriatio: ſed pergamus. Illi ponunt obicem, qui communem Matrem Eccleſiam faſtidiunt & in Romanos Pontifices irreverentes ſunt. Reducere ad Matris gremium Heterodoxos cupis. Laudo. Sed vide, ne quos unâ manu reducis, abducas, & ſeducas altera. Certe non video, quid magis poſſit abducere & ſeducere, quam, ſi te ipſum intelligant, Theologum eſſe non tam Romanum, quam Janſenianum, & cui conſtitutiones Pontificiæ graves ſint. Si te ipſe amas, & proximi converſioni ſtudes, per ſalutem tuam oro te, audi Chriſti Vicarium. Qui Chriſti oves ſunt vocem ejus audiunt. Romanis aliquid plus, quam Lerdamenſibus oraculis tribue. Quod ni facias fruſtra aliquem laboris tui fructum expectas, & quod plus eſt, animam ipſe tuam, quâ nihil tibi poteſt eſſe carius, præſentiſſimo exponis diſcrimini. Utinam verbis hiſce meis, quæ mihi ſingularis in te amor dictat Vir Eximie, tam potens cæleſtis auræ ſibilus aſpiret, ut obicibus omnibus altior, quos Magiſtrorum tuorum auctoritas, amor gloriæ, quique homines retrahit à palinodia pudor, ſolet obvolvere, veritati tandem manum utramque des, ita non tibi ſoli, ſed quos reduces, fratribus proderis plurimum. Hæreat altè infixa menti tuæ hæc Chriſti vox: *quid prodeſt homini ſi Vniverſum Mundum lucretur, anima verò ſua detrimentum patiatur?*

QUARTUM MALUM.

Sunt, criminationes injurioſæ & perſecutiones adverſus gratiæ per ſe efficacis defenſores, illos etiam, qui Janſenio minimè favent.

Reſpondeo. Injurioſas criminationes odi cane pejus & angue: ſed quis criminatur? & ut tua phraſi utar, quis perſequitur gra-

tiæ per ſe efficacis defenſores, qui Ianſenium apertè ejurant? Thomiſtas hic deſignare cupis, ita colligo, quis eos iniquè vexat? Non diffiteor bella quandoque ſcholaſtica gerimus, ſed amica, quæ potius ad ſcholaſticæ militiæ exercitium faciunt, quam ad diſſenſiones animorum, gladiis obtuſis pugnamus, neque ullum vulnus infligimus. Thomiſtarum doctrinam cenſurâ notari vetuit Roma, prompti paremus, notâ nullâ afficimus. Neſcio undè tam meticuloſus tu ſis Vir Eximie, qui Magiſtrum habuiſti cognomento *intrepidum*. Pone hunc timorem: res Thomiſtarum eſt in vado.

QUINTUM MALUM.

Turbæ frequentes variis in Eccleſiis ſucceſſu temporis cienda.

RESpondeo: deſinant Ianſeniſtæ eſſe *publica tranquillitatis perturbatores*, quales illos teſtatur Alexander VII. Ponant contumaciam, & mali iſti corvi, pejora ova non excludant, redibit ſua Eccleſiæ ſerenitas, non facilè deinceps perturbanda, niſi videremus, & longo obſervaſſemus uſu, hæreſim ex hæreſi ſemper naſci, & novi aliquid monſtri ſuboleſcere, ut ex Calviniſmo Ianſeniſmus prodiit, ex illo Quietiſmus, quem in cunis gaudemus eſſe extinctum utinam mater illa non ſit ſecundò fæcunda!

SEXTUM MALUM.

Indignatio S. Sedis.

HAnc tu Vir Eximie, hanc fæderati tui & *Supplicantes* curant ſcilicet: hanc metuunt & quidem alpibus interjectis, qui, quod alpes transvolat, non pluris faciunt, quam inane murmur, quo imbelles animi territantur, vel potius, qui alpium oppoſitu vaticana fulmina penitus comminui garriunt ut non ita pridem ex tuis ſymmiſtis aliquis ſcribebat: indignatio S. Sedis Ex: Martinum de Swaen ſollicitum habet: quis credat? Ex: Domine nulla metuenda eſt S. Sedis indignatio iis, qui decreta ejus naſo non ſuſpendunt adunco, ſed ſuſpendentes publicè redarguunt, & verbis & exemplis ad debitam reverentiam compellunt. Si iratam habere verè times S. Sedem, ſtatutis ejus citra exceptionem obtempera. Nunc reliquos duos ſcopos tuos inueſtigemus ac videamus num felicius in eos collimes.

§. V.

§. V.

Scopus V. quem Eximius tetigit infeliciter.

DE eo diſſeris §. 10. & in illo ſitum ais, *quod gratia per ſe efficax, ſub triplici potiſſimum larva Manicheiſmi ſcilicet, Calviniſmi, & Ianſeniſmi non ſemel fuerit oppugnata* in quo probando operosè deindè ſudas conquiſitis undecumque ſcriptis ac Ieſuitarum Theſibus, inter quas ſub me aliquando defenſas etiam introducis.

Reſpondeo: quid hic tibi velis Eximie Domine, ſi ſignificationem vocum conſulam, vix aſſequor, adeò malè mentem tuam exponis. Sub larva Manichæiſmi, Calviniſmi, & Ianſeniſmi gratiam per ſe efficacem impugnare, mihi ſic ſonat. Manichæo, Calvino, Ianſenio vulnus infligere, ex quo obliquè ictus reſiliat in gratiam per ſe efficacem, quod ſi ſic accipis, jam agnoſcis ultrò, hæc monſtra impugnari non poſſe, niſi ſimul gratia per ſe efficax aliquid patiatur. Quod ſi de gratia per ſe efficaci prout à te aſſeritur, affirmatum cupis, facilè conſentio ſine ulteriori probatione. Si etiam de gratia per ſe efficaci ſecundum naturam, quam Thomiſtæ illi indunt dictum velis parvam illi gratiam tibi debent pro ea commendatione, ſed hæc tua mens non eſt: id unum voluiſti dicere, ſed non expreſſiſti iis, quibus debuiſti verbis, nonnullos gratiam per ſe efficacem ſic oppugnare, ac ſi per eam Manichæiſmus, Calviniſmus, Ianſeniſmus ſuſcitaretur, ità mentem tuam ex adjunctis colligo: ſed inficiari nemo poteſt, quin ex profligatis illis erroribus, magnum argumentum ſumatur contra gratiam per ſe infallibiliter efficacem, quæ ſecum diſſenſum abſolutè pati nequeat, atque adeò non opus erat, ut probares, & Ieſuitarum ſcripta, ac Theſes evolveres eorumque teſtimoniis pagellas tuas farcires. Si majores tantum tuos coſuluiſſes, quos meritò præ Bajo & Ianſenio ſuſpicere deberes, Ruardum Taperum, Cunerum Petri, Ioannem à Bononia, Thomam Stapletonum, Ioannem Malderum, Ioannem Wiggers, potuiſſes hæc in Stapletono legiſſe, ut unum pro multis citem, Promp. Cathol. Fer. 6. Hebd. S. *Fatetur,* Calvinus, *efficacem à ſe gratiam, quam ponit novellum eſſe, ſuique cerebri commentum: dignum ſanè dogma, quod ab homine tam impio inventum, Viri docti complectantur.* Sed quid aliorum dicta accerſam? Tu ipſe Eximie Domine id ipſum agis, ſeu verius Auctores iſtos agere inſinuas, qui Calviniſtarum hodiernorum placita eadem eſſe cum tuis, & Catholica eſſe pug-

pas-

nas, neque audes dicere à Janſenianis placitis eſſe diverſa. Cum igitur Manichæiſmus, Calviniſmus, Janſeniſmus hac in parte germanæ ſint ſorores, ejuſdem Patris diaboli filiæ, quid miri eſt, ſi gratiam à te propugnatam, ſororibus iſtis tam ſimilem, iiſdem quis argumentis impugnet, quibus hæreſes iſtæ impugnatæ & ab Orthodoxis Scriptoribus expugnatæ ſunt? Attendis quomodo hic tuus ſcopus rurſus annumerandus veniat ſcopis diſſolutis? Quis enim inde concludat, quod concludendum unicè erat: Erga Eximius Martinus Swanius immeritò de Janſeniſmo ſuſpectus eſt?

§. VI.

Scopus ſextus, quem ſi Eximius tetigit, tetigit incaſſum.

Dixeram, ſcribis Epiſtolæ tuæ §. 11. ***me oſtenſurum gratiam per ſe efficacem in hunc uſque diem ſtetiſſe inexpugnabilem, neq; hic ullatenus à ſcopo aberravit Diſſertatio mea.***

Reſpondeo: Modica diſtinctione evaneſcit quidquid hic congeris Magiſter Eximie: Gratia per ſe efficax Janſeniana ſtetit hactenus inexpugnabilis, nego & pernego: Expugnata enim eſt Clariſſimorum Theologorum ſcriptis, & Pontificum atque Eccleſiæ auctoritate fracta ac eliſa eſt, ut Orbi notum eſt univerſo: Gratia per ſe efficax Thomiſtarum ſenſu ſtetit hactenus inexpugnabilis, ſubdiſtinguo, id eſt nullo Sedis Apoſtolicæ judicio perculſa eſt, vetita eſt cenſurari (quamquam id non ſignificet vox inegpugnabilis) tranſeat: id eſt, non eſt impetita iis argumentis, aut impeti non poſſet talibus, ut ex iis aut non poſſent, aut difficillimè poſſent ſe expedire Thomiſtæ nec nego nec affirmo, ſed Eruditorum hominum ac partium ſtudio liberorum, de hoc poſco judicium. Verum de hac mihi tecum nulla fuit, certè non fuit potiſſima contentio: Gratiam per ſe efficacem impugnavi, quæ talis à te deſcripta eſt, ut exiſtimes non poſſe te Ianſenio valedicere, niſi iſti tuæ gratiæ valedicas, & majorum tuorum doctrinæ nuntium remittas.

Rurſus hoc loco genuinum te Thomiſtam probas Eximie Domine, & habes undè glorieris te tuum ſcopum attigiſſe, quando ut fidem facias, gratiam per ſe efficacem in hunc uſque diem ſtetiſſe inexpugnabilem auctorem inducis, & lectoribus commendas, quo Ianſeniſta vix alius eſt manifeſtior, & minus Thomiſta, aut Thomiſta tui ſimilis, ut inde appareat, de qua gratia per ſe efficaci intendas loqui, dum contendis

tendis eam eſſe inexpugnabilem. *Virum* ſcilicet *Eruditum* ut ſcribis auctorem libri cui titulus *Tradition de l'Egliſe Remaine ſur la Grace qui exhibeat Traditionem integram Eccleſiæ Romanæ de Gratia per ſe efficaci :* ſic ille tibi concinit tom. 3. pag. 152. *ſuper materia de Gratia non eſt amplius ſolidum diſſidium inter Catholicos & Calviniſtas.* Eodem tom. pag. 201. & 202. verba ejus fideliter latinè expreſſa do : *Cum diſcipuli Calvini deſeruerint extremum , in quod ſe præcipitaverat eorum Magiſter deſtruens libertatem voluntatis humanæ , ad ſuſtinendum jus Omnipotentiæ divinæ , & redierint ad juſtum medium ſenſus Eccleſiæ , oportet Ieſuitas ex ſua parte facere tantundem , & de altero extremo , quo tutantur libertatem hominum , redire etiam ad medium ſenſus Eccleſiæ per vera JESU Chriſti gratiæ confeſſionem.* Calviniſtæ quotquot ſunt Synodum Dordracenam ſequuntur , & negant , ac pernegant ſe à Calvini Principis ſui placitis deflexiſſe , & contrarium aſſerentes mendacii arguunt ac convincunt , quos inter eminet Iurius familiaris tibi tuiſq; auctor , quod proin ignorare non poteſtis : ſi fallat in eo aut fallatur , cur neque tu dum doctrinæ ejus ſubſcribis , neque hic Symmiſta tuus , Calviniſtas in hac parte revincitis ? Gaudent tamen ſua dogmata quæ agnoſcunt , & gloriantur à Tridentina Synodo & Eccleſia Romana proſcripta eſſe , à vobis probari , & catholica cenſeri , quia ubi illi Romano-Catholicam fidem faſtidiunt , vos ad Eccleſiam Calvinianam magnis paſſibus acceditis. Et hæc eſt Eccleſiæ Romanæ de gratia perpetua traditio , de qua ita gloriamini ? Phariſaica enimvero , non Apoſtolica, Manichæa , non Chriſtiana , hæretica , non Catholica ! At moderni Calviniſtæ frequentius adhibent libertatis & liberi arbitrii nomen : eſto , ſed illo ſenſu adhibent, quo non repudiabat Calvinus , imo vero , quo diſertè profitetur , nominis hujus uſurpationem pati ſe poſſe , ſi nempe idem ſignificet libertas , & libentia , ſi quidquid ratione duce ſponte & libenter velle dicimur , dicamur libere velle : ſi coactio aut violentia libertati opponatur , non neceſſitas: verba ejus ante hac aliquoties reddidi , quæ non lubet iterum deſcribere.

Audi cæteras , quandoquidem tibi tam gratæ ſunt auctoris ejuſdem, tibi concinentis cantilenas : pag. 189. *Concilium Tridentinum,* ait , *propriè non condidit aliquod decretum , in quo ullum genus gratiæ condemnet.* Quis igitur furor inceſſit Calvinum ? Cur tantopere debacchatus eſt in Neptunos, ut per ludibrium compellabat Tridentinos Patres , ſi ſententiæ illius de gratia nullum vulnus à Concilio illo inflictum ſit ? Cur Dordracena Synodus Calvino devotiſſima , toties , tam acriter ſanctiones haſce Tridentinæ Synodi improbavit ? Si nullum genus gra-

gratiæ condemnavit , liberum itaque erit, ſalvis illius Concilii decretis, gratiam profiteri apertè , rotundè , ſine fucis neceſſitantem , qualem Lutherus & Calvinus adſtruxit in hoc magis ingenui præ iis, qui cum rem eandem ſtatuant , nomen involvunt per ambages. Quid ni id liberum ſit ſalvis Concilii decretis, ſi nihil ſuper hac cauſa Synodus Tridentina ſanxit ? Apage veſanum Concilii Tridentini interpretem.

Sed , non ex hoc ſolo capite tibi placuit hic ſcriptor , habuit & aliud forte non injucundum , quo te traheret iſta ſiren. De Molina magnificè & ſentit , & loquitur atque adeo de iis omnibus , quos appellare vobis placet Moliniſtas. Aures purga & arrige Vir Eximie : ita canit pagina 150. *Si Calvinus & Molina ſecuti fuiſſent traditionem & Sanctos Patres , primus ad ſalvandam omnipotentem IESV Chriſti gratiam , non rejeciſſet liberum arbitrium , ſecundus ad ſalvandum liberum arbitrium, non negaſſet omnipotentem Dei gratiam ambo in oppoſitis ſuis erroribus æque cæci.* Et quaſi parum illi ſit Molinam Calvino æquiparaſſe , altius aſſurgit pag. 151. *Calvinus in materia de gratia minus injurius eſt Deo , quam fuerit Molina* ; rationem ſubnectit , *quia ille defendit jus Dei in creaturam , hic videtur ſe declaraſſe pro creatura contra creatorem.* pergit pag. 182. *Diſcipuli Calvini quantumvis hæretici in eo ſuperant Moliniſtas , quod rationibus inducti intellexerint liberam cooperationem voluntatis cum gratia efficaci , redierintque ad doctrinam diſcipulorum S. Aug. & Thomæ.* An non juvabat ad hanc cantilenam aures adferre purgatas ? Pejor eſt Molina Calvino , & quo non ? Sed bene habet , quod ab iis ſolis talis habeatur Molina , qui Romam ipſam habent ut Maſſiliam ; undè glorioſum potius ipſi eſt cum Principe Orbis Eccleſia , & Urbe Sacrorum Domina ; Religionisque cuſtode iiſdem affici contumeliis , iiſdem probris inſigniri.

Si necdum cantilenarum iſtiuſmodi tenet ſatietas , en tibi aliquid ad lyram Janſenii factum pag. 465. *Gratia ſufficiens , ſine qua peccatum vitari non poteſt , non eſt neceſſaria , ut peccatum poſſit imputari peccatori , in præſenti ſtatu naturæ corruptæ.* Quid videtur Eximie Domine nonne belliſſimè concinit Janſenio ? Nunne ſi hæc vera eſt , vera debet eſſe Ianſeniana 3. *Ad demerendum in ſtatu naturæ lapſæ , non requiritur in homine libertas à neceſſitate.* Ecquem tu nobis auctorem commendas , dum Ianſeniſmi ſuſpicionem procul à te Epiſtolâ hac Apologeticâ amoliri cupis ? Non capio , ſemper ſic ſuſpicionem illam amoliri ſtudes , ut videaris altius eam Lectorum animis velle infigere. Fortè tibi placet hoc Auctoris tui effatum , quia ejuſmodi eſt, ex quo populo commendare poſſis Confeſſarios iſtos , qui vulgo rigoriſtæ audiunt,

diunt, ut commendabas in tua declamatione Quodlibetica, tamquam mitiores, quoſque facilius peccantium miſereat, quam miſereat iſtos, quos vulgo depingitis ut laxos: ſciunt quippe, aiebas, certè ſic ſuis placitis convenienter exiſtimant rigoriſtæ illi, iſtos reos auxilio fuiſſe deſtitutos, ſine quo peccata vitare non poterant, adeoque non eſſe magnopere iis iraſcendum, ſed condolendum potius.

Nunc altiore voce muſicus tuus intonat pag. 465. *Neceſſitas gratiæ ſufficientis ad evitandum peccatum inventum eſt inimici gratiæ IESV Chriſti, & artificium, per quod in Eccleſia reviviſcat Pelagianiſmus, vel potius introducatur novus Pelagianiſmus primo periculoſior, & magis impius.* Succinis ut ille præit Eximie Domine, & cenſuras à probato tibi auctore latas, etiam probas? Pelagianiſmum in Eccleſiam invehunt primo deteriorem, quotquot cum Romanis Pontificibus & Eccleſia univerſa gratiæ ſufficientis neceſſitatem adſtruunt, & Manichæiſmum veſtrum exſcindunt? Erubeſcis, ſalva res eſt, non audes, pudet te temeritatis, qua ſe auctor tuus ſivit abripi; certè pudere deberet.

Colligamus modo quo pacto ſcopum tuum hic iterum aſſecutus ſis: Lutherani, Calviniſtæ, Ianſeniſtæ tuentur gratiam per ſe efficacem: tuentur illam quidam etiam è Catholicis, ſed Catholici iſti Lutheri, Calvini, Ianſenii ſententiam agnoſcunt legitimè damnatam verèq; hæreticam eſſe, & rationem ſe inire pugnant gratiam per ſe efficacem propugnandi à Lutherana, Calviniana, Ianſeniana longè diverſam: Eximius noſter licet id fortè quoque daturus ſit de Luthero, forte & de Calvino, de Ianſenio dare detrectat, Calviniſtas recentiores habet pro Catholicis, rationem non oſtendit ſe inire aliam propugnandi gratiam per ſe efficacem, quam ineant Calviniſtæ & Ianſenius ipſe. Ergo Eximius noſter immeritò ſuſpectus eſt de hæreſi, neque quidquam habet commune cum Ianſeniſtis. Fruſtra fatiges te Magiſter Eximie ut oſtendas ex hiſce tuis antecedentibus deductionem hanc fieri poſſe legitimè, & luce clarius apparet, te à ſcopo hoc qui Primarius eſſe debuerat, aberraſſe quam longiſſimè, ut minimè peccaſſe videar, quoties tot ſcopos tuos appellavi ſcopas diſſolutas: volui tamen ad ſingulos aliquid reſponſi dare, ne ſilentio meo inſultares, &, ut feciſti, triumphares inaniter. Quod ſi ſimiles ſcopos à vero ſcopo alienos poſthac multiplices, ero & manebo ut ſupra dicebam mutus ut piſcis: ſi quid ad rem dicere cupis, & mecum contendere, quæ de Synodi Tridentinæ & S. Auguſtini mente diſputavi fac elidas, hæc tua debebat eſſe (poſtquam te de Ianſeniſmi ſuſpicione purgaſſes) cura præcipua: verum

rum hoc adeò non feciſti ; ut ne tentaveris quidem , probè tibi conſcius , arcem veſtram nulla parte magis eſſe debilem , & facilius expugnabilem , quam iſtac , licet gloriari ſoleatis eſſe firmiſſimam , & prorſus inexpugnabilem.

Quæ §. §. 12 13. 14. 15. 16. 17. 18. ad nauſeam , & Lectoris etiam parum delicati faſtidium rurſus ingeris , jam refutata habes in Superioribus , neque mihi lubet reſponſa mea toties iterare , quoties eaſdem nænias tibi lubet inſtaurare : quare propero ad Concluſionem tuam ſive Epiſtolæ tuæ Epilogum.

Epilogus ad Epilogum Eximii.

DE Præſidiis humanis quodammodo deſperans in Deo fiduciam omnem collocas , & cælo ſolatium expectas , quando homines tibi adeo iniqui ſunt. Exiſtimas fore , *ut veritas increata Deus tuus te hoc ſuo celeſti effato confortet : beati eſtis , cum maledixerint vobis , & perſecuti vos fuerint , & dixerint omne malum adverſum vos , mentientes propter me. Gaudete , & exultate , quoniam merces veſtra copioſa eſt in cælis.* Beatus es Eximie Martine ? Beatus es ? Non invideo : ſed an qui ſe beatos dicunt ipſi ſe decipiunt ? Beatus es quia homines nonnulli maledictis te inceſſunt , & me maledicentibus iſtis annumeras ? Ubi quæſo , vel quando maledixi tibi ? Quando ſiniſtri aliquid imprecatus ſum , aut nomen tuum , affeci contumeliâ ? Quiſquis igitur ſana tibi ſuggerit conſilia , quisquis errantem te in viam ſtudet animo ſinceriſſimo & benevolentiſſimo reducere , qualem mihi eſſe Deus novit , tibi maledicit ? An tu quoties Calviniſtas cupis reducere , toties maledicis Calviniſtis ? Non exiſtimo. Ego te perſecutus ſum ? Meam credo indignationem veritus Lovanio fugiſti: alii abiviſſe te dicunt majoris dignitatis & pinguioris , ac lautioris ſpartæ dulcedine invitatum , alii auctoritate aliqua majore compulſum. Quid verum ſit , ſcis ipſe. Ego non ſoleo duci rumoribus. Dixine ego omne malum adverſus te propter Chriſtum mentiens ? Uſque adeo ego IESU Chriſti hoſtis ſum , ut omne malum adverſus te mentiens evomam , quia tu IESUM Chriſtum amas ? Totus ad hanc tuam teterrimam ſuſpicionem exhorreſco. Et ego IESUM Chriſtum amo , & nihil mihi eſt iſtoc nomine carius , ita me amet IESUS Chriſtus : & adeo tibi minimè male volo , ut te velut alterum Ioannem in Chriſti IESU ſinu poſitum videre deſiderem, hoc meum votum ex intimis medullis hauſtum , cogitationibus tam nigris penſas ? Utinam , utinam merces tua

ſit

ſit in cælis copioſa ? Id unicè opto : ſed vereor , & multum vereor , ut votum hoc meum exaudiri poſſit , quamdiu Ianſenium tantopere deperis , ut ejus ſenſui detrectes dicere anathema : quamdiu recentiores Calviniſtas, qui à Calvini & Dordracenæ Synodi veſtigiis non deflectunt , ut ipſi profitentur , hac in parte exiſtimas ſentire Catholicè. Vereor inquam , (utinam vanus ſit hic metus) ne commune habeas cum Calviniſtis & Ianſeniſtis Cœlum , in quo ſuperbi ſpiritus in homines ſuperbos & opinionum ſuarum pertinaces dominatum , ac Tyrannidem exercent.

Sperabam fore , ut præclaris his Chriſti verbis abundè recreatus deſineres : ſed deſinere non potes: *unum*, pergis, *priuſquam finiam indicandum cenſui , nimirum animum mihi non eſſe , hiſce tecum contentionibus diutius immorari. quandoquidem abundè ſatisfecerim.* Cur animus tibi fuit contentiones haſce ſuſcitare primùm. Cur me nihil ſimile cogitantem provocaſti ultrò? Cur intermiſſum certamen iterum renovaſti? Sperabas ſemper exitum certaminis feliciorem , tandem , poſt tot irritos conatus deſperas : piget tot pugnarum. Sapis , ſed utinam citius ſapuiſſes. Interim hoc habes ſolatii , & in eo tibi plaudis , *quod abundè ſatisfeceris* : ſolatium id tibi ereptum non volo , plaude tibi Domi tuæ quantum volueris , ſed vide ut applauſores habeas rectè ſentientes.

Accedit , inquis, *& hac ratio , quod cum illis mihi res ſit , qui in omni cauſa quantumvis infundata , de ultimo reſponſo gloriam quærere videntur :* Argutè , bellè ! Magiſtraliter ! Eximius Martinus provocavit ad certamen , & laceſſivit pacis amantem , hæc igitur illi debetur gloria , quod pugnæ initium dederit , & hanc quoque laudem aliquis illi invidet , quod finem certamini impoſuerit , & victor leges dederit,quas ſilendo adverſarius agnoverit ? Id ni fecero arrogans ſim , & ambitioſus gratiæ captator. Neque me ſolum , ſed ſocios meos mordes univerſim omnes: *in omni* tibi *cauſa,* QUANTUMVIS INFUNDATA *gloriam quærere videmur de ultimo reſponſo* infelicem enimvero & miſeram conditionem noſtram , ſi ſilemus , ut nimium diu aliquando ſiluimus, ſi vel unus prodeat Ianſeniſtarum Libellus, quem non ſtatim convellimus , quia nihil novi occinit , ſi vel unam ratiunculam centies eliſam taciti præterimus , ſilentium noſtrum mox in argumentum victoriæ ſuæ vertunt Ianſeniſtæ. Libellus ille plenis buccis invictus dicitur:mactantur illo Ieſuitæ omnes ; nullus eſt , qui poſſit , aut auſit hiſcere : ſic modeſtiæ noſtræ & ſilentio inſultatur : ſi reſpondemus , ſi nihil prætermittimus , quod ſolida reſponſione non enervemus , ſi materiam hanc inanis triumphi præcidimus , vani , ambitioſi , gloriæ cupidi

ſu-

ſumus : Qualis qualis cauſa ſit , ultimi reſponſi gloriam aucupamur. Neque ſilere igitur, neque loqui Ieſuitis licet. O miſeros Ieſuitas, & ineluctabili peccandi neceſſitate conſtrictos! Quodque omnium eſt miſerrimum, neceſſitate neminem excuſante, ſi Ianſeniſtis fides eſt.

Eximie Martine, patere candidè me animi mei ſenſa proloqui: nunquam gloriæ cauſa (Deus mihi teſtis eſt) adverſus laceſſentem te proceſſi, ſed miſericordiâ motus, & animæ tuæ tuorumque diſcipulorum, qui te prò oraculo audire dicebantur, ſervandæ impulſus deſiderio. Si gloriæ ſtuduiſſem, alium mihi ſumpſiſſem adverſarium, & cui nominis plus fuiſſet, & plus dentium, & alia ratione certaſſem. Noli tibi blandiri, Vir non es tantus, ut quis te victo, magnum ſibi ſe feciſſe nomen ſperare poſſit. Tui tuorumque amor egit me in pugnam, non gloriæ cupiditas: quare quam potui modeſtiſſimè & ſinceriſſimè rationes tibi meas ſemper propoſui, ut in hac ruſus ſcriptione feci, ſperans tandem aliquid profecturum me, aſpirante præſertim cæleſti lumine, quod errores tibi tuos aperiret, & accedente impulſu divino, qui obſtinatam flecteret voluntatem. Expectationem meam fefelliſti hactenus, nunc tandem per animam tuam te quæſo, non meâ causâ, ſed ſalutis tuæ Eccleſiam Matrem tuam audi: ne ſis ſicut Ethnicus, & Publicanus: Janſenio, quem proſcripſit ipſa, valedic. Id non ego, non omnes boni dumtaxat, ſed JESUS Chriſtus à te flagitat, qui pro te ſanguinem ſuum fudit, quod firmiſſimè credendum eſt. Noli obliquos tramites ſectari, per quos girari amat tortuoſus coluber: Noli inhoneſtas veſtigare rimas, quibus elabaris, quarum hæreticos ipſos eorumque Principem Iurium pudeat: noli Phraſes incaſſum coacervare Thomiſticas, quibus Ianſenianam turpitudinem veles. Cum Theodoreto dic aperte anathema Ianſenio prout ipſe dixit Neſtorio: quod ſi feceris acclamabo & acclamabunt boni omnes: *Eximius Martinus Swanius Catholicus eſt, Catholicum Doctorem Cathedra Lovanienſis admittat: Chriſtiano illi nomen eſt: Catholicus cognomen.* Hæc erit ultimi reſponſi mei ſolida gloria: Doctori Eximio Martino Swanio plaudite.

EXIMIE DOMINE MAGISTER

D. V.

Humillimus Servus in Chriſto

LOVANII 12. APRILIS 1693. ISAACUS DE BRUYN

SOCIETATIS JESU.

IMPRIMI POTERIT. NICOLAUS DU BOIS *Librorum Cenſor* &c.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA V. EMANUELE